


PALAESTRA

LATINA



ANN. XXXI (Fasc. II) — N. 174
M. A. JUNIO MCMLXI

PALAESTR A LATINA

Trimestres litterarum latinarum commentarii **BARCINONE** edendi

Constat in Hispania et America Hispanica: 60 pesetis; in Gallia: 8 francis; in Italia: 1.000 libellis; in Germania: 6'5 marcis; in Anglia: 12'5 solidis; in reliquis civitatibus, 2 dollaribus.

PALAESTR A ADULESCENTIUM: Constat in Hispania et America Hispanica: 20 pesetis; in Gallia: 2'5 francis; in Italia: 300 libellis; in Germania: 2 marcis; in reliquis civitatibus: 0'50 dollaris.

Pretium mittatur oportet ad **ADMINISTRATOREM**: Lauria, 5, Apartado 1042 - **BARCELONA** (10)
vel ad **PROCURATORES** singularum nationum
Scripta ad Moderatorem: Conde, 2 - **BARBASTRO** (Huesca)

Depósito Legal L. 12 1958

Editur Ordinarii et Superiorum permissu

I N D E X

ANN. XXXI (Fasc. II) N. 174

M. JUNIO A. MCMLXI

C. EICHENSEER, <i>De adventu Legati Pontificii</i>	65
AE. ORTH, <i>Ciceronis doctrina de scientia</i>	77
N. MANGEOT, <i>De Hannibale</i>	87
C. EICHENSEER - MIR- IJSEWIJN, <i>Epistularum inter socios commercium.</i>	93
R. PAVONE, <i>Ad vesperam - Funere mersit acerbo - Quercus dejecta - Evangelicae beatitudines - Sturnina equulea</i>	88
J. SIDERA, <i>Per Orbem</i>	102
R. PAVONE, <i>Resurrectio</i>	107
BIBLIOGRAPHIA, E. Tejerina Canal, J. Aramendía, M. Molina, A. Marqués, I. González, Philoponus, J. Sidera,	108

PALAESTR A ADULESCENTIUM

<i>J. M. Mir</i> , <i>Bella perdix, bellissima perdix!</i>	121
<i>C. Latorre</i> , <i>Romani Imperii eversor</i>	125
<i>M. Furius Camillus ludi magistrum proditorem punit</i>	126
<i>Ad saltum equi - Pueri ingenium et pietas</i>	128
<i>J. Bonmatí</i> , <i>Hereditas fabulosa - Triangulus magicus</i>	129
<i>J. Larrea</i> , <i>Deambulatio - Facetiae - Bohr</i>	130
<i>A. Duato</i> , <i>Aliqua de «Otto» et «Fritzio» - Solutiones</i>	103
<i>Kikiriki - Verborum aenigmata - Physicae periculum.</i>	132

PALAESTRA LATINA

LITTERARUM LATINARUM COMMENTARII
A SOCIIS CLARETIANIS EDITI

ANN. XXXI (FASC. II) — N. 174

M. JUNIO

A. MCMLXI

De adventu legati pontificii

*Monachium, Bavariae caput, Germania urbs florentissima, ingentis, festis, artibus conspicua, atque erga adorandum altaris Sacramentum pietate nobilissima, proximo mense Augusto, Eucharistici ex universis gentibus Conventus sedes erit quem et insignem et perpetuo memorandum futurum esse facile confidimus*¹. Ab his verbis exordium eae sumpserunt litterae, quibus Johannes XXIII, episcopus Romanus idemque Summus Pontifex Ecclesiae catholicae, Gustavum Cardinalem Testa, Dominum Reverentissimum et Eminentissimum, legatum suum declaravit, qui sui ipsius personam gereret, dum Monachii Eucharisticus conventus celebraretur. Qui vicarius papae — cum campanis pulsatis hora tertia postmeridiana (secundum recentioremodum horas computandi) indicatur, eo momento ipso pridie Kalendas Augustas anni p. Chr. n. millesimi nongentesimi sexagesimi aeroplano quattuor machinamentis motoriiis² instructo,

* Cum scriptorum loci qui in hac lucubratione memorantur ad fidem et auctoritatem editionum praecipuarum afferantur, ratio scribendi, quae in illis editionibus adhibetur, non mutata servatur. [MODERATOR].

1. *Acta Apost. Sedis* (= AAS) 52 (1960) 7: 3.

2. Cf. *SOC. LAT. (Monac.)* 1 (1932) 14: *motorium*. BACCI, *Lexicon*³, Romae 1955, p. 406 (*motore*).

Cf. *PRISC. gramm.* II 75, 9: *alia vocabula ab aliis rebus, in quibus sunt vel de quibus vel quas habent: in quibus sunt, ut 'collarium', quod in collo est, 'plantarium', quod in planta est, 'mensarium', quod in mensa, 'motoria' quae in motu, 'palmarium', quod in palma est, hoc est in laude. TERT. anim.* 14, 3, 17 (CChL 2,800): *Non enim membra sunt substantiae animalis, sed ingentia, ut motorium, ut actorium, ut cogitatorium, et si qua in hunc modum distinguunt, ut et ipsi illi quinque notissimi sensus, visus auditus gustus tactus odoratus. DON. Ter. Ad. praef.* 1, 2 (ed. Wesner, Lipsiae 1905, p. 3, 14) [*fabula palliata «Adelphoe»*]... *matore ex parte motoria est; nam statarios locos perpauca habet. Ter. Ad.* 24 (p. 12, 6): *Aut ipsi senes in statario caractere partem ostendent. (p. 12, 7) nam duo agendi sunt principales modi, motorius et statarius, ex quibus ille tertius nascitur, quia dicitur mixtus. 299 (p. 70, 5) maxima itaque pars scaenae motoria est. Hec. praef.* 1, 2 (p. 189, 8) [*fabula «Hecyra»*]... *est... mixta motoriiis actibus ac statariis. Phorm. praef.* 1, 2 (p. 345, 11) [*fabula «Phor-*

cui nomen *Alitalia* (tale genus machinarum aeriarum *Viscount* audit³), —in aërodromio⁴ Monacensi⁵ feliciter ex Italia in Bavariam translatus ad grande tapete rubri coloris ibi stratum applicatur. Ubi veste purpurea indutus in summas scalas statim admotas egressus, qua est comitate, cardinalicium galerum vibrans hominesque consalutans cunctos ingenti plausu multitudinis excipitur. Inde descendit, postquam usque ad finem sonos hymnorum tam Pontificii quam germanici publice personitorum percepit, manus cleri magistratumque primoribus porrecturus⁶ eosque viritim salutaturus summis honoribus cultus⁷. Nam duae cohortes, altera exercitus germanici foederati, terminis tutandis excubitorum⁸ altera, more militari obsequium honorifi-

mio]... *prope tota motoria est*. EVANTH. *de com.* 4, 4 (ed. Wessner, Lipsiae 1902, p. 22, 1 sq.): *Comoediae autem motoriae sunt aut statariae aut mixtae. motoriae turbulentae, statariae quietiores. mixtae ex utroque actu consistentes.*

SCHOL. *Hor. (Acr.)* 288 (ed. Keller, Lipsiae 1904, p. 356, 9): *Comoediarum genera sunt sex: stataria, motoria, praetextata, tabernaria, togata, palliata*. SCHOL. *Ter. Bemb. Haut.* 36 (ed. Mountford, London 1934, p. 52): *aut statariae dicuntur personae aut motoriae*. SCHOL. *Ter.* p. 76, 12 (ed. Schlee, Lipsiae 1893) *Haut. prol.* 36 *statariam] comoediarum sunt genera sex: stataria, motoria, praetextata, tabernaria, togata, palliata, secundum Porphyriionem.*

De vocabulo *motoris* cf. MART. 11, 40, 1 (ed. Lindsay, Oxonii 1902): *Cunarum fueras motor, Charideme, mearum.*

GROM. p. 351, 4 (ed. Lachmann, Berolini 1748): *motores autem pessimis morbis et vulneribus efficiuntur membrisque suis debilitantur.*

3. Cf. *Münchener Merkur*, n. 183 (Montag, 1. Aug. 1960), p. 9.

4. Neograece: ἀεροδρόμιον; cf. BACCI, *op. mem.*, p. 20: *aeroportus, aerodromus*; LATINITAS, 9 (1961) 67 sq. *aeroportus* (COPPA); cf. *Stationem radiophonicam Vaticanam: Austria ...iam praeparaverunt triginta duos parvos aerodromos* (14, 2. 1959); *Cardinalis Legatus [Petrus Agagianian] venit in Saigon [Vietnam] ope aeroplani et est receptus in aerodromo magna cum sollemnitate ab auctoritatibus ecclesiasticis et civilibus necnon a magna turba fidelium* (7, 3 1959).

5. *München-Riem.*

6. Cf. FLOR. *epit.* 3, 21, 16 (ed. Malcovati, Romae 1938, p. 157, 12-14): *Ancharius ipso vidente Mario confossus est, quia fatalem illam scilicet manum non porrexerat salutanti.*

7. Affuit etiam Conradus Baffle, Nuntius Apostolicus.

Cf. LIV. *Ab Urb. cond.* 7, 36, 8. 45, 20, 3: *omnibus honoribus muneribusque et praesens est-cultus Attalus et proficiscentem prosecuti sunt* (ThLL VI, 3 2923, 83 sq.).

8. «excubitores terminales» (*Grenzschutz*):

excubitores: cf. CAES., *De bello gall.* 7, 69, 7 *haec eadem castella noctu excubitoribus ac firmis praesidiis tenebantur*. ISID. *orig.* 9, 3, 42: *excubitores dicuntur pro eo quod excubias semper agunt*. Cf. ThLL V, 2 1288, 12-45: *excubitores*.

«terminalis, -e»: cf. PAUL. *sent.* 5, 22, 2 (ed. Seckel-Kuebler, Lipsiae 1911, p. 146): *Qui terminos effodiunt vel exarant arboresve terminales evertunt,...* GROM. p. 333, 12 (ed. Lachmann-Rudorff, Berlin 1848): *et item lapides terminales posuimus*. p. 333, 13 *et aquas vivas in fundo supra scripto terminales inventes*. APUL. *met.* 10, 29 (ed. Helm, Lipsiae 1955, p. 260, 26): *at ubi discursus reciproci multinodas ambages tubae terminalis cantus explicuit, aulaeo subducto et complicitis siparis scaena disponitur.*

TERN. *tejun.* 11, 6 (CChL 2, 1270): *palos terminales figitis deo*. CIL XI 351 IOV · TER (= Iovi terminali). 5749, 30 AETRIVS TERMINALIS. 6390, 7 T · [V]EDIVS TERM(inalis). INSCR. Afr. Gsell I (Paris 1922) 2657, 3 L · POMPEIVS · TERMINALIS.

centiae praestiterunt ei advenienti⁹. Quam occasionem adventus nactus Johannes Ehrard, qui praest administris¹⁰ rei publicae Bavaricae, quali munere magister officiorum¹¹ temporibus antiquis fungebatur, legatum appropinquantem salutandum allocuturus ante microphonum¹² ibi collocatum constitit contestatus¹³ conventum Eucharisticum Monachii celebrandum cunctis catholicis Germaniae maximae laudi esse atque honori summo. Ipsos autem potissimum Bavaros horam hujus conventus celeberrimi convocandi¹⁴ jam dudum praestolatos ob celebritates tandem incohatas gaudio exsultare eosdemque Johanni XXIII, Summo Pontifici Romano, gratiam habere quam maximam, quippe qui Monachium, sedem harum caerimoniarum cultusque divini¹⁵ quam urbem Pius XII ante complures annos sedem elegisset, probare non dubitasset. Qua pietate paterna rationes amicitiae, quae jam pridem inter Sanctam Sedem et Bavoriam beatam intercessissent, ne iniquissimis quidem condicionibus cassatas¹⁶ hac congressione comprobatas esse atque confirmatas. Similem sententiam Johannes Joachimus Vogel, magister seu rector civium¹⁷ Monacensium, protulit, qui Cardinalem Legatum superio-

9. Cf. AUSON. 405 p. 239 P. *epodi compositi ad honorificentiae obsequium ad aurium convivium concurrerunt* (= *LhLL* VI, 3 2936, 46).

10. Cf. AAS 50 (1958) 768: *plures italici Administris. 770 et 772: rei publicae Italicae Administris*. LATINIT. 8 (1960) 244: *Iulius Andreotti, rei publicae Italicae honoratissimus administrator* (BRUNO). Cf. E. L. POSSELT. *Bellum populi Gallici (adversus Hungariae Borussiaeque reges eorumque socios [annus MDCCXCII])*, Gottingae 1793, p. 38: *qui procuratores, divisim inter se partibus, vel turris dicundi, vel negotiorum cum exteris, vel bellicae nauticae rei, vel aerarii, vel interioris Galliae curam agerent*, p. 63: *Dumorius...*, *qui negotiorum cum exteris curam agebat*.

11. Cf. Ps. AUR. VICT. *epit.* 41, 6: *Martinianum, officiorum magistrum* (COD. Theod. 16, 10, 1 [a. 320-1]. COD. Iust. 7, 6, 2 [a. 362]. al.) AMM. 15, 5, 2 20, 2, 2 NOT. *dign. or.* 1, 10. et saepissime. CIL VI 1721 [inter a. 355-360] *magistro officiorum optimo* (= *LhLL* VIII 81, 69-73). Cf. STEGMÜLLER, *Lexikon für Theologie und Kirche*², II, Freiburg/Br. 1958, p. 554: *Boëthius* («magister officiorum»: etwa *Ministerpräsident*).

12. Cf. BACCI, *op. mem.*, p. 388: *microphonium vel microphonum*; cf. LURZ. SOC. LAT. 18 (1952) 14: *microphonum*. VIT. LAT. n. 12, Janvier 1961, p. 17.

13. Cf. Sulp. SEV. Mart. 5, 3 (CSEL 1, 115, 17): *maestus peregrinationem ingressus est contestatus fratribus multa se adversa passurum*.

14. Cf. RUFIN. *hist.* 5, 13, 21 *conventus episcoporum et concilia convocantur*. 4, 15, 44 *sollemnes agimus celebresque conventus*. VULG. I Macc. 14, 44 *convocare conventum* (cf. *ThLL* IV 846, 67-850, 7).

15. Cf. Liv., *Ab Urb. cond.* 5, 51, 4: *divini cultus*. Ps. APUL. Ascl. 24: *pietate cultuque divino*. CIL VI 2145: CVLTVM DIVINVM.

COD. Theod. 12, 1, 123, 5 [a. 391]: *divino cultu*. AUG. *civ.* 10, 4, 4 (CChL 47, 276): *multa... de cultu divino usurpata sunt, quae honoribus deferrentur humanis*. Sulp. SEV. Chron. 1, 46, 2 (CSEL 1, 48, 15) *observantissimus divini cultus fuit*.

Cf. *ThLL* IV 1331, 54-65.

16. Cf. *ThLL* III 519, 30-520, 10: *cassare: inde a saec. IV p. Chr.*

17. Cf. MONUMENTA BOICA, vol. 31, p. I (Monachii 1836), p. 58? sq.: *magistros seu rectores civium vel quos libet officiales alios libere (ordinare): Fridericus II Imperator, anno 1245, 10 Nov., Papiae*.

ribus annis jam ter nomine Summi Pontificis Monachii commoratum, scilicet annis MCMXXIII^o, MCMXXVI^o, MCMXXVII^o plurimum salvere jussit. Ait autem prorsus apparere, quantopere Johannes XXIII civitati Monacensi faveat, cum urbem Monachium cujus nomen a monachis ducatur¹⁸, suo quoque nomine sedem conventus Eucharistici tricesimi septimi constituerit. Paucis deinde historiam Monachii memorabilem replicavit, cujus testimonio argueretur hanc eandem urbem medio, quod dicitur, aevo Romam appellatam esse Germanicam, cujus cives hoc saeculo Pium XII paucis annis ante vitam functum merito paene suum vindicarent. Ceterum cives Monacenses sive catholicos renovatione morum interiore sive incatholicos¹⁹ voluntate benevolentiae praestandae suos animos ad fidem manifestatam ecclesiae universalis concelebrandam praeparavisse. Denique optandum esse, ut in hoc conventu Christianorum catholicorum unitas fidei mirabiliter elucescat Eucharistiae sacramento celebrato. His verbis cunctis consalutationis commotus Gustavus Testa Germanorum lingua locutus gaudii sensus significavit et honoris oblatis, quod vice Summi Pontificis functurus Monachium venisset, quam urbem singularem jam anno MCMXXIII ac deinceps obisset. Addidit se sperare Eucharistico conventu futurum esse, ut Bavari Germanique societate familiares firmiore concordia cum Sancta Sede devincerentur. Deinde dextris inter se datis²⁰ ceteri quoque consalutati sunt ad hunc hospitem excipiendum congregati sive dignitate sive munere nobiles.

Tum inde, ubi cohortes, quas diximus honoris gratia constitutas²¹, honorificentiam ei praestiterunt²², dum ahenatores²³ militares²⁴ modos

Cf. B. WIDMER, *Enea Silvio Piccolomini, Papat Pius II*, Basel 1960, p. 366: *summa tamen imperii penes magistrum civium*. AAS 49 (1957) 32: *Vota... magistri oppidi totiusque populi*. 50 (1958) 780: *Romanae Civitatis Rector*. p. 768. 770: *Romanae Civitatis Moderator*. SIDERA, PAL. LAT. n. 168: 29 (1959) 235: *Urbis praefectus*. BACCI, *op. mem.*, p. 483: *Municipii moderator, curator, administrator*.

18. Codex epistolarum Tegernseensium (ed. Strecker, MGH [epist. sel., tom. III], Berlini 1925, p. 99, 1^o), epist. 94: *...de loco, qui dicitur Ad monachos*.

19. Cf. CASSIOD. *anim.* 12 (PL 70, 1303^B): *videbimus quam irritè ab incatholicis catholica lacerabatur ecclesia* (Locus unicus totius latinitatis antiquae: cf. ThLL VII, 1 850, 43-55).

20. Cf. LIV., *Ab Urb. cond.* 26, 14, 4: *dextris inter se datis ultimoque complexu collacrimantes suum patriaeque casum* (ThCL III 1575, 25-27).

21. Cf. CAES., *De bello gall.* 7, 49, 1: *ut cohortes sub infimo colle ab dextro latere hostium constitueret*.

22. Cf. AUG. *serm.* 354, 4, 4 (PL 39, 1565): *mutuam honorificentiam eis praestare*. COD. Ius. 1, 48, 2 (ed. Krueger, Berlini 1877, p. 152, 24 sq.): *Singuli quique iudices sciant celsioribus viris et his, quorum nonnumquam iudicio provehuntur, honorificentiam esse debitam praestandam*.

23. Cf. ThLL I 981, 43-65: «aenator» et post «aeneator, -oris» m. [a tuba aenea vel aliis instrumentis aeneis nominatus. Th.] SEN. *apoc.* 12: *tubicinum, cornicinum, omnis generis aenatorum tanta turba, tantus concentus*. Cf. ThLL I 1444, 50 sqq.: *ahenus, -a, -um*.

24. Cf. LIV., *Ab Urb. cond.* 42, 35, 3: *militares homines*. 30, 15, 30: *militares viri* (ThLL VIII 952, 3-19).

musicos singulari congressui congruos edunt, in raeda aperta²⁵ ad mediani versus urbem profectus est hinc inde quinque custodibus publicis²⁶ birotis automatariis²⁷ usis comitatus et per vicos vias plateas plausibus multitudinis ingentis utrimque expectantis exceptus. Quo comitatu stipatus²⁸ usque ad angelum pacis est deductus, quae est columna excelsior a civibus anno MDCCCIC erecta, cui simulacrum aeneum inauratum instar angeli passis alis incedentis impositum est. Illinc, ubi in locum decuriae comitantis birotis automatariis vectae alia manus duodecim custodum honorariorum²⁹, eaque equitata³⁰ suffecta est, trans pontem in flumine Isara factum a Luitpoldo regis Ottonis in regimine vicario nominatum usque ad ipsum forum Mariale³¹, in cuius centro anno MDCXXXVIII Maximilianus, Magnus Elector, Mariae Matris Virginisque Patronae Bavariae columnam collocavit, gradatim processum est. Illuc circiter horam quartam postmeridianam et dimidiam per vias vexillis minoribus et majoribus, floribus discoloribus, pannis magnificentissimis ornatas perventum est. Ubi Cardinalis Legatus a latere Summi Pontificis dictus sonis campanarum³² cum cathedralis ecclesiae Marialis tum templi Petriani omnium Monacensium longe vetustissimi atque

25. Cf. ThLL II 219, 65 (210, 44-221, 4: *apertus*): Cic. Att. 10, 10, 5: *Cytherida secum lectica aperta portat* (Phil. 2, 58 PROP. 4, 8, 78). Cf. POSSELT, *op. mem.*, p. 83: *ultimus Dillo ipse dux aperta rheda illam [urbem Insulam Lille] invectus*.

Cf. WALDE-HOFMANN, *Lat. etymol. Wörterbuch*, II, Heidelberg 1954, p. 425: *reda, raeda, -ae f.* ERNOUT-MÉILLET, *Dictionnaire étymologique de la langue latine*, II, Paris 1960, p. 593: *raeda (reda), -ae f.: voiture à quatre roues, sorte de char à bancs, d'origine gauloise*.

26. *Polizia, Polizei*: cf. BACCI, *op. mem.*, p. 486: *publici ministri, vel administri; publici, -orum; publicae securitatis custodes, vel tutores*.

27. *Motocicletta, Motorrad*: cf. BACCI, *op. mem.*, p. 91: *automataria birota, vel autobrota*.

28. Cf. MIN. FEL. 37, 9: *rex multo comitatu stipatus*. Cic. Mil. 28: *cum hic... veheretur in raeda ... magno et impedito et multiebre ac delicato ancillarum puerorumque comitatu*.

Cf. ThLL III 1793, 64-1795, 22: *comitatus*.

29. Cf. Cic. Tusc. 5, 120: *quorum philosophorum controversiam solebat tamquam honorarius arbiter iudicare Carneades*. ULP. dig. 26, 7, 3, 2: *ceteri ... tutores non administrabunt, sed erunt hi, quos vulgo honorarios appellamus*.

Cf. ThLC VI, 3 2933, 40-2934, 57: *honorarius*.

30. In multis titulis, velut: CIL II 2129 3227. 3230. Hyg. mun. castr. 19: *cohors peditata quinquagenaria vel equitata*. Not. dign. or. 34, 43 *cohors prima equitata*.

Cf. ThLL V, 2 726, 74-727, 13: *equitata [cohors]*.

31. Cf. AAS 52 (1960) 948: *Marialis ... Conventus (Martali Conventui)*, 949: *in Mariali ... Conventu*, 980; *Marialis Conventus*. 17 (1925) 131: *Mariana aedes*, 301: *Marianum Sanctuarium*. 21 (1929) 660: *Marianum Sanctuarium*. Cf. AAS 52 (1960) 817: *in hoc Petriano foro* (Johannes XXIII).

32. Cf. FERRAND. *epist.* 11 (ed. Reifferscheid, Vratislav. 1871, p. 6): *sed alios plurimos ad consortium boni operis vocas, cui ministerio sonorae servire campanam beatissimorum statuit consuetudo sanctissima monachorum* (c. a. 515). BEDA *hist. eccl.* 4, 23 (PL 95, 211C): *Haec tunc in dormitorio sororum pausans audivit subito in aere notum campanae sonum, quo ad orationes excitari vel convocari solebant, cum quis eorum de saeculo fuisset evocatus*. GRAMM. *suppl.* 182, 29 (ed. Keil-Hagen, Lipsiae

clangore classicorum³³ et tubarum ac plausibus ingentibus hominum confertissimorum³⁴ consalutatus comissime et amicissime resalutans circiter centum cardinalibus patriarchis archiepiscopis episcopis comitatus ad solium ante buleuterium seu curiam novam collocatum aulaeo³⁵ suspenso et magna cruce insignito contectum per septem gradus ascendit, in quo summo latiore atque editiore cardinales consistunt ibidem sua quisque in sella sollemniter adessuri, ipse consessurus in sede altiore distincta duobus inde gradibus aliis. Archiepiscopi autem et episcopi ceterique viri praelati ordinibus dispositi in plano adsistunt, quos caelo sereno³⁶ circiter septuaginta quinque milia hominum cingunt. Quae dum fiunt, hymnus sollemnissimus a Praenestino³⁷ modis musicis instructus concinitur, qui Romae tantum solet cantari, cum Pontifex Maximus templum Sancti Petri ingreditur. Qui cantus constat his verbis: *Tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo ecclesiam meam, et portae inferi non praevalent adversus eam. Et tibi dabo claves regni caelorum*³⁸.

1870): *Nola' et 'campanella' unum est, idest 'schilla', ut est illud Avieni de cane: Iusserat in rabido gutture ferre nolam.* VIT. FRONT. 9 (PL 73, 412B): *unus qui leves ac tinnulas aures habebat, per flamina ventorum campanulae raptens sonitum, paululum reticuit; et cum bene tandem sonantem comprehenderet, ait: Puto quod ex altitudine montium campanae sonantis motus auditur.*

Cf. E. WÖLFFLIN, *Campana, Glocke*, in: *Archiv f. lat. Lexikographie u. Grammatik* [Leipzig] 11 (1900) 537-540.

G. KLEPPINGER STRODACH, *Latin Diminutives in -ello/a- and -illo/a-*, Philadelphia 1933, p. 69. A. BLAISE, *Dictionnaire Latin-Français des auteurs chrétiens*, Strasbourg 1954, p. 126.

33. Cf. *ThLL* III 1278, 54-59: *neutr. subst. «classicum, -i» i. q. instrumentum musicum (tuba, cornu, bucina), quo et comitia et exercitus vocabantur.* Cf. SERV. Aen. 7, 716: *equitum tubas classica dicimus.* ISID. orig. 18, 4, 5: *classica sunt cornua, quae convocandi causa erant facta.* cf. *ibid.* 1278, 75-79: VEG. mil. 2, 22 [de differentia usus tubicinum, cornicinum, bucinatorum]: *classicum item appellatur, quod bucinatores per cornu dicunt, hoc insigne videtur imperii, quia classicum canitur imperatore praesente vel cum in militem capitaliter animadvertitur, at opponitur classicum et bucina.* HYG. mun. castr. 21: *si castra longiora fuerint, classica dicentur (i. canentur), nec bucinum in tumultu ad portam decimanam facile potuerit exaudiri.*

Cf. I. GOSLAR. SOC. LAT. 4 (1936) 60: «classicinum, tromba classica» = *Fanfarentrompete*.

Cf. *ThLL* II 2231, 55 (*būcina*): VEG. mil. 3, 5: *tuba quae directa est appellatur, bucina quae in semet aereo circulo flectitur.*

34. Cf. APUL. flor. 17 (ed. Helm, Lipsiae 1910, p. 52, 22): *confertos homines.* SALL. Catil. 60, 6: *in confertissimos hostes.* Jug. 98, 1: *ubi confertissimi obstiterant hostes.* Cf. *ThLL* III 171, 72-172, 72: *confertus.*

35. Cf. *LhLL* II 1460, 31 (*aulaeum*): HOR. sat. 2, 8, 54: *suspensa ... aulea.* VAL. MAX. 9, 1, 5: *Attalicis auleis contectos parietes.* Cf. BACCI op. mem., p. 80: *baldachino.* A. SLEUMER, *Kirchenlateinisches Wörterbuch*², Limburg/Lahn 1926, p. 146: *baldachinus, -i m.*

36. Cf. CIC. epist. 16, 9, 2: *caelo sereno nocte illa et die postero.* SEN. clem. 1, 7, 2: *sereni caeli et nitentis.* dial. 1, 4, 14: *Germanos triste caelum premit.*

37. Giovanni Pierluigi da Palestrina, *il Praenestino*, Latine Praenestinus, Praeneste natus anno 1525, Romae mortuus est 2. 2. 1594.

38. VULG. Matth. 16, 18 sq.

Postquam autem Legatus cardinalibus ceteroque clero circumdatus consedit, Josephus Mojoli, Dominus Reverentissimus, ad microphonum ibi constitutum accessit, ubi primum submissius ter dixit *Surgant*, deinde clara et alta voce litteras apostolicas Johannis XXIII³⁹, Summi Pontificis, recitavit, quarum initialia⁴⁰ verba principio jam attulimus. Ille hac epistula quid sit sacra Eucharistia, quid sibi velit, quid inde nostra denique sequatur aetate oporteat, dilucidius explicat. Ait enim cum alia tum haec: *Celsissimi Sacramenti, quo Christus Jesus sub speciebus panis et vini est praesens, sacerdotum ministerio Hostiam puram et rationabilem aeterno Patri se offert, ac vitale simul nobis alimonium se praebet, hoc proprium et praecipuum est, ut unitatis sit signum et artifex: «Salvator noster in Ecclesia tamquam symbolum reliquit ejus unitatis et caritatis, qua christianos omnes inter se conjunctos et copulatos esse voluit» (CONC. Trid., sess. XIII). Quam unitatem ejusdem sacrosancti mysterii ipsa materia prae se fert. Ut scilicet ex multis granis unus confectus est panis et ex racemorum disperso numero unum existit vinum⁴¹, ita fideles sumendo Christum, unum Christi corpus, unam Ecclesiam perficiunt⁴². Denique addidit: Pro certo habentes hortationes Nostras libenter susceptum iri, urbi Monachio, quae Christo Regi eucharistico velamine abscondito, memorandum instruit triumphum, praesentem Dei tutelam et jure praesidium invocamus, ut sinceræ et orthodoxæ fidei in exemplum retinentissima custos, puriore usque christianæ humanitatis jubare floreat et in primoribus Germanorum*

39. AAS 52 (1960) 763 765.

40. Cf. VARRO (?) frg. Prob. Verg. ecl. 6, 31, p. 344, 6: duo initiales dei, unde omnia et omnes orti. APUL. apol. 64: totius rerum naturae causa et ratio et origo initialis.

Cf. ThLL VII, 1 1648, 31-51: initialis, -e.

41. Cf. Doctr. apost. 9, 4 (ed. Funk, Tubingae 1901, p. 23, 3 6): Sicut hic panis fractus dispersus erat supra montes et collectus factus est unus, ita colligitur ecclesia tua a finibus terrae in regnum tuum; quoniam tua est gloria et virtus per Iesum Christum in saecula. CYPR. epist. 63, 13 (CSEL 3, I. 712, 6-10): ...quo et ipso sacramento populus noster ostenditur adunatus, ut quemadmodum grana multa in unum collecta et conmolita et conmixta panem unum faciunt, sic in Christo qui est panis caelestis unum sciamus esse corpus, cui coniunctus sit noster numerus et adunatus. 69, 5 (p. 754, 4-11): denique unanimitem christianam firma sibi atque inseparabili caritate conexam etiam ipsa dominica sacrificia declarant. nam quando Dominus corpus suum panem vocat de multorum granorum adunatione congestum, populum nostrum quem portabat indicat adunatum: et quando sanguinem suum vinum appellat de botruis atque acinis plurimis expressum atque in unum coactum, gregem item nostrum significat conmixtione adunatae multitudinis copulatum. AUG. in euang. Ioh. 26, 17, 8-11 (GChL 36, 268): Dominus noster Iesus Christus corpus et sanguinem suum in eis rebus commendavit, quae ad unum aliquid rediguntur ex multis. Namque altud in unum ex multis granis confit, aliud in unum ex multis acinis confluit. cf. 26, 17, 1-6 (p. 268). serm. 227 (PL 38, 1100): numquid ... panis ille de uno grano factus est. 272 (PL 38, 1247 sq.): Recolite quia panis non fit de uno grano, sed de multis... Sicut enim ut sit species visibilis panis, multa grana in unum congeruntur, tamquam illud fiat, quod de fidelibus ait Scriptura sancta. Erat illis anima una, et cor unum (Act 4, 32): sic et de vino. Fratres, recolite unde fit vinum. Grana multa pendent ad botrum, sed liquor granorum in unitate confunditur. in epist. Ioh. 1, 6 (PL 35, 1982): multa grana faciunt massam.

42. AAS 52 (1960) 763.

*civitatibus ut multigeno splendore gemma rutilans eluceat; ac tibi, Dilecte Fili Noster, legationi[s] tuae felicem exitum et eventum exoptantes, Apostolicam Benedictionem impertimus; hanc vero et ad sollertissimum Monacensem et Frisingensem Cardinalem Archiepiscopum, ad ceteros Cardinales, ad Archiepiscopos et Episcopos, ad Magistratus, ad sacerdotes et fideles, Eucharistico Conventui ex universis gentibus Monachii interfuturos, pertinere ultro volumus*⁴³. Haec legentis verba cuncta cuncti sive coram praesentes sive radiophonice auscultantes sive televisifice spectantes summo silentio prosequuntur, deinde in plausum ingentem erumpunt. Postea Bruno Wüstenberg, Dominus Reverentissimus, eadem Summi Pontificis verba germanice reddita legit, cui cuncti similiter multiplicem dederunt plausum. Tum Josephus Wendel⁴⁴, Cardinalis et archiepiscopus Monacensis, surgit et ad microphonum accedit, ex quo loco Legatum, qui jam ante triginta fere annos in Germaniae regionibus ad Sangonam seu Saravum et Ruram seu Rurinnam⁴⁵ sitis optime de animis concitatis inter se conciliandis meritus est, multimodis salutatur ratur per ejus personam Pontificem Maximum adesse, cui gratias agit quam maximas, quod Monachium, quam urbem Pius XII, quippe qui primos duodecim annos apostolatus sui ibi transegerit, conventui Eucharistico tricesimo septimo sedem ante paucos annos constituit, confirmare non dubitavit. Addit Summos quidem Pontifices in terris immortalitate non esse perfructuros, nihilominus ecclesiae petram permanentem. Tamen dolet, quod Summus Pontifex maximopere invitatus venire non ipse potuit. Idem condicionem Germaniae in duas partes etiamnum divulsae miseratus queritur, quod multi incolae ejus plagae, quae vergit ad orientem vi prohibentur, quominus huic conventui vere pacifico intersint. Alios autem absentes aliis miseris, morbis, malis detineri vel condicionibus difficilioribus impediri, ne veniant. Tamen alios coram aliis cogitationibus saltem ad hoc horum dierum centrum Eucharistiae celebrandae concurrere, cui sit celebritati lemma ipsius Christi verbis inscriptum: *Pro mundi vita*⁴⁶. Denique ait consentaneum esse in hoc conventu celeberrimo stationem non solum urbis sed orbis institui et celebrari, quam occasionem nacti cuncti homines cum rei publicae tum ecclesiasticae societatis simul eucharistiam facientes Deo revera gratias agant summas.

Post haec Josephus da Costa Nunes, archiepiscopus Goanus et Damnensis Indiarumque orientalium honoris causa patriarcha⁴⁷ et archiepiscopus

43. AAS 52 (1960) 764 sq.

44. Improvisio pridie Kal. Jan. anni MCMLXI mortuus est, postquam paulo ante apud Christi fideles in ecclesiam cathedralem congregatos contionatus est de anno Eucharistico transacto et de animis necessario vitae post mortem perpetuae praeparandis.

45. Saar: Sangona (Saravus, Sar(r)a, Saroa), Ruhr: Rura (Rurinna): SLEUMER, *op. mem.*, p. 683, 695.

46. Cf. VULG. *loh.* 6, 51 *et panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita.*

47. Cf. AAS 45 (1953) 543.

titularis Odessitanus⁴⁸, qui praeest consilio perpetuo conventuum Eucharisticorum universalium, suum esse duxit, quid hac hora sollemnitatum sentiret, suis ipsius verbis exprimere. Qui hac salutatione inquit: *Eminentissime ac Reverendissime Domine Cardinalis Legate! Placuit Sanctitati Suae Joanni Vigesimo Tertio, Pontifici Maximo, Te, Eminentissime Princeps, suum legatum a latere constituere. Cetera vero verba quamvis latina vix auribus comprehendi et percipi potuerunt, cum tanta volubilitate linguae proferrentur non paucis syllabis suppressis, ut rem quidem omnes mirarentur, sententias tamen intellexerent perpauci. Quidam autem rei peritus dixit Lusitanos hunc in modum latine loqui consuevisse sua ipsorum appellatione litterarum tenaciter usos⁴⁹.*

Postremo Gustavus Testa, legatus ipse, lingua Germanorum exorsus cum Cardinali Monacensi tum Patriarchae Odessitano pro verbis tam observantiae quam benevolentiae gratias agit sincere testatus Christum, sacerdotem eundemque et victimam, id effecisse, ut ipse jussu Summi Pontificis adesset ejusdemque nomine legati munere fungeretur egregii. Johannes enim XXIII eum cunctosque comiter pridie coram admissos alloquens in arce Gandulfi recordatus diem octavum mensis Septembris anni MCMXII, cum ante duodequingenta annos primum Monachium obisset ad conventum Eucharisticum Vindobonensem peregrinaturus, amanter dixit se vix sibi temperavisse, quin nomine episcoporum germanorum observanter invitatus et amabiliter temptatus ipse Monachium proficisceretur, cujus cives sollemnia in honorem et adorationem Jesu Christi, regis gloriosi et immortalis saeculorum et populorum peragenda pridem parassent⁵⁰. Sed minus desiderii animi quam rationis praeceptis parendum fuisse. Tamen se totum mentis cogitationibus celebritatem Monacensem esse participaturum⁵¹. Deinde benedictionis verbis qui Romae est legatus dimissus, dicere Monachii pergit, postquam initio Dominos cum Eminentissimos et Reverentissimos tum magistratus honoratissimos cunctosque fideles ad conventum Eucharisticum celebrandum congregatos carissimos nominatim salutavit. Ait autem Beatissimum Patrem (i. e. Summum Pontificem) quamvis corpore⁵² absentem

48. Odessa: cf. *Annuario Pontificio* 1959, Città del Vaticano 1959, p. 665 et 984.

49. Hanc orationunculam taenia sonigera bene conservatam etiam atque etiam cognoscere conatus sum frustra.

50. Cf. *Osservatore Romano*, anno C - N. 177 (30. 445) Domenica 31 Luglio 1960, p. 1: ... - 8 settembre 1912, quarantotto anni or sono - quando passammo di là per la prima volta, pellegrino solitario come eravamo allora, verso quel Congresso Eucaristico di Vienna. ... Ci fu amabile tentazione per un intervento diretto della Nostra umile persona alla mondiale manifestazione Eucaristica, che Monaco prepara in onore ed in adorazione di Gesù Cristo, re glorioso ed immortale dei secoli e dei popoli.

51. Cf. *Süddeutsche Zeitung*, ann. 16, n. 183, München, Montag, 1. August 1960, p. 1 sq.

52. Cf. *Ov. trist.* 3, 4, 56: sic tamen haec adsunt, ut quae contingere non est corpore, sunt

inter adunatos animo medium⁵³ adesse eundemque die dominico post hebdomadem venturo ad contionem verba facturum ipsum. His autem diebus imprimis sacrosanctum sacramentum altaris cum celebrandum tum praedicandum esse, quod mysterium sacrum poëtria quaedam Germana divinitus instincta carmine celeberrimo cantavisset. Atque profecto quidem sollemni concentu campanarum commixto canticis precibusque piorum, qui undique Monachium confluxissent, conventum Eucharisticum tricesimum septimum mirabiliter inauguratum esse. Quibus sonis per undas aetherias diffusis usque ad insulas remotissimas trans oceanos sitas hic nuntius psalmistae⁵⁴ perferatur: *Laudate Dominum, omnes gentes, et praedicate nomen ejus. Procumbite in genua et inclinate frontes vestras Deo omnipotenti. Et exultate Domino et cantate ei canticum novum*⁵⁵. Ergo mysterium amoris divini, id est sanctissimam eucharistiam, denuo in medio vitae religiose reponi necesse esse. Nam pro mundi vita sanctum missae sacrificium, quae est cena sacrificii, a Christo Domino institutum esse. Hinc hac hora homines fideles ad stationem orbis convenisse cum verecundia et dilectione illud sacrificium Salvatoris mundi celebraturos, sacrificium expiationis et reconciliationis, pignus orbis terrarum prorsus pacandi. Postremo *Venite, inquit, adoremus et procidamus ante Deum, exulemus et jubilemus Deo, salutari nostris*⁵⁶.

Deinde, dum chorus cathedralis ecclesiae hymnum pontificium cantat, Cardinalis Wendel et Patriarcha da Costa et Johannes Baptista Neuhäusler, episcopus auxiliaris Monacensis idemque titularis Calydonius⁵⁷ atque ab actis generalis conventus Eucharistici, Legato complexu debitam honorifi-

animo cuncta videnda meo. VELL. 2, 23, 5 Athenenses: animos extra moenia, corpora necessitati servientes intra muros habebant.

(Cf. ThLL IV 1002, 16-80: *corpus et animus*).

53. Cf. Liv., *Ab Urb. cond.* 3, 35, 5: *ipse medius inter tribunicios ... volitare*. Hier. *adv. Rufin.* 2, 22 (PL 23, 445D): *in qua multitudine fratrum tu quoque medius eras*. Oros. *apol.* 7, 8: *medius quoque vobis ipse fuit*.

(Cf. ThLL VIII 582, 50-62 *medius*; *ibid.* 587, 80-588, 16: *in medio*).

54. Cf. Ps. ASPER *gramm. suppl.* 41, 12 (ed. Keil-Hagen, Lipsiae 1870) *psalmista*. DUB. NOM. *gramm.* V 583, 4 (ed. Keil, Lipsiae 1868): *Laqueus generis masculini, ut psalmista*.

HIL. *in psalm.* 118 nun 14 (CSEL 22, 485, 14): *dic potius et utere ipse tu voce psalmistae dicentis ista*. AMBR. *in psalm.* 118 *serm.* 12, 23 (CSEL 62, 265, 6): *denique et ipse psalmista ait*. Hier. *epist.* 17, 1 (CSEL 54, 70, 3): *Decreveram quidem utendum mihi psalmistae voce dicentis*. AUG. *serm.* 44, 4, 7 (PL 38, 261): *Impletum est enim quod Spiritus sanctus per psalmistam multum ante praedixerat (= CAES. AREL. *serm.* 142, 5 [ed. Morin, I, Maretoli 1937, p. 559, 34])*.

Cf. CHR. MOHRMANN, *Die altchristliche Sondersprache in den Sermones des hl. Augustin (Latinitas Christianorum primaeva, fasc. 3)*, Nijmegen 1932, p. 140.

55. Cf. VULG. *psalm.* 116, 1. 112, 1. 134, 1. 94, 6. 148 sq.

56. Cf. VULG. *psalm.* 94, 6. 1.

57. Cf. ThLL II C *onomasticon* 112, 70 sqq.: *Calydonius*.

Annuario Pontificio 1959, p. 349 et 573: *Calydonicensis*.

centiam exhibent⁵⁸, quam eidem reddunt⁵⁹ Josephus Massiglia et Antonius Maier, Domini admodum Reverendi, secuti anulum osculaturi. Quae dum fiunt, de domo gloriae plena⁶⁰ (i. e. ecclesia Dei) canticum concinitur⁶¹.

Quibus verbis longe lateque resonantibus Legatus praecedentibus sacerdotibus, episcopis, cardinalibus in pompa sollemni ad ecclesiam cathedralem deducitur aureo umbraculi seu rectiangulari⁶² sustentato, quale dicunt caelum portatile⁶³, obumbratus. Illius templi magnificentissimi in bello maximam partem deleti, sed interea affabre restituti atria betullis⁶⁴ et floribus ornata ingreditur jam a compluribus milibus hominum expectatus, postquam variis caerimoniis ad portam peractis circumstantes aqua lustrali⁶⁵

58. Cf. CLAUD. DON. *Aen.* 1, 335 (ed. Georgii, Lipsiae 1905, p. 70, 20 sq.): *etsi mereor, inquit, a vobis honorificentiam, talem mereor quae conveniat homini, non tamen quae numinibus debeat exhiberi.*

59. Cf. AMBROSIAS. in *Rom.* 5, 11 (PL 17, 92A) *reddamus ei honorificentiam.*

60. «*Ein Haus voll Glorie schauet.*»

61. Cf. AUG. in *psalm.* 4, 13, 5-7 (CChL 38, 486): *Numquid concinebantur hymni de ecclesiis Dei, qui solent in pace concini, dulctique concentu fraternitatis Dei auribus personari? (ThLL IV 53, 75).*

62. Haec adjectiva apud auctores antiquos non reperuntur, sed tantum nomina substantiva, unde merito ducuntur nova vocabula utiliter fingenda (cf. Cic. *leg.* 2, 28 *fingenda nomina.* fin. 4, 7 *nova verba fingunt*; cf. ThLL VI, 1 774, 14-44). *rectagonum*: GROM. p. 338, 24 (ed. Lachmann-Rudorff, Berlin 1848) *latus rectagoni*. Cf. E. WÖLFFLIN, *Archiv für lat.* Cf. ThLL V, 1 948, 36-41: *diagonalis, -e adi.*

rectangulum: ISID. *orig.* 3, 12, 2 (ed. Lindsay, Oxonii 1911) *orthogonium, id est rectangulum figura plana.*

Ps. BOETH *grom.* p. 170, 10 (ed. Mynors, Oxford 1937): *trilaterum figurarum orthogonium, id est rectangulum quidem triangulum est quod habet angulum rectum.* *ibid.* p. 170, 16. 18: *quadrilaterarum vero figurarum quadratum vocatur quod est aequilaterum atque rectangulum; parte vero altera longius quod rectangulum quidem est si aequilaterum non est; rhombos vero quod aequilaterum quidem est sed rectangulum non est; rhomboides autem quod in contrarium conlocatas lineas atque angulos habet aequales - id autem nec rectis angulis nec aequis lateribus continetur.*

Cf. ThLL II 56, 9-44: *angularis, -e adi.*

63. Cf. ANON. *de mach. bell.* 18, 6 (ed. Thompson, Oxford 1952, p. 103, 2b): *portanti (var. l. portatilis, portati) pontis peculiaris succurret inventio.*

Hic est locus unicus isque satis incertus latinitatis antiquae, ubi adjectivum 'portatilis, -e' reperitur.

Cf. AAS 51 (1959) 917: *loco altaris portatilis.*

64. «*betulla, ae f. (Birke, ital. betula, hisp. abedul, gall. bouleau, angl. birch-tree), cf. PLIN. nat.* 16, 74 (ed. Mayhoff, Lipsiae 1892, p. 20, 14-18): *gaudet frigidis sorbus, sed magis etiam betulla. Gallica haec arbor mirabili candore atque tenuitate, terribilis magistratum virgis, eadem circulis flexilis, item corbitum costis, bitumen ex ea Galliae excoquunt.* (Cf. ThLL II 1952, 29 sqq.).

65. Cf. Ov. *Pont.* 3, 2, 73 (ed. Merkel, Lipsiae 1889, p. 171): *Spargit aqua captos lustrali Graia sacerdos.*

Cf. AAS 49 (1957) 126: «*lustralia labra*» (*Weihwasserbecken*).

aspersit. Deinde ad altare majus progressus in genuflexorium⁶⁶ quoddam genibus positus incumbens sanctissimum sacramentum interim expositum veneratus adorat. Tum ibi super ipsum preces usitatae a seniore canonico collegii cathedralis dicuntur⁶⁷. Quibus cunctis caerimoniis rite consummatis⁶⁸ omnes adstantes finali benedictione⁶⁹ pontificali⁷⁰ auctos dimisit deducendus deinde ipse illinc a Josepho Wendel, Cardinali Monacensi, in regiam, ubi per dies celebritatum coetuumque habitaret circumdatus auri fulgore⁷¹.

CAELESTIS EICHENSEER, O. S. B.

66. *Knie-, Betschemel*; cf. DU CANGE, *Glossarium mediae et infimae Latinitatis*, tom. IV, Nior 1885, p. 57.

67. Cf. AUG. *bapt.* 6, 25, 47 (CSEL 51, 323, 9): *cum illae preces dictae super aquam fuissent*. GREG. M. *epist.* 11, 21 (MGH *epist.* II, p. 282. 33): *preces illae, quae super cereum in Ravennati civitate dici solent*.

68. Cf. PAUL. MED. *bened.* 11, 1: *consummatis ... hostiarum caerimoniis*.

69. Cf. VULG. *gen.* 26, 29: *dimissimus te auctum benedictione domini*.

70. Cf. CIC. *leg.* 2, 52 (ed. Ziegler, Heidelberg 1950, p. 78, 6): *Itaque si vos tantummodo pontifices essetis, pontificalis maneret auctoritas*. cf. *ibid.* 2, 52 (p. 78, 2): *jus pontificium*. 2, 53 (p. 78, 18): *pontificium jus*.

71. Cf. CATULL. 64, 100 *Ariadna magis fulvore (fulgore cod.) expalluit auri* (ThLL II 1527, 13). Nova vero editio, quam Schuster (Lipsiae 1958) confect, habet haec (p. 57): *quanto saepe magis fulgore expalluit auri*.

Cf. ThLL VI, 1 1533, 67-74: ? *fulvor, -ōris m.*

Ciceronis doctrina de scientia

In Ciceronis libris philosophicis et rhetoricis loci plurimi de labore qui ad scientiam spectat leguntur; Tullius enim jam ab adolescentia philosophiae graecae summopere studuit ac postea multorum doctorum sapientiae consuetudine usus est; ita accidit, ut ab illis amplam de scientiae ratione doctrinam cognosceret; Cicero ipse non consilio de genere «scientifico» disputandi tractavit, verum occasione data fortuito animadversiones de scientia (= ἐπιστήμη) protulit; tales de scientia sententiae colligere hoc loco conati sumus: id quod adhuc numquam, quod sciamus, factum est; «scientificus» quoque labor ex Graecorum disputationibus et colloquiis, non ex soliloquiis initium cepit; ad hunc modum disputandi etiam Ciceronis materia de scientia ex philosophorum praesocraticorum «traditione» et ex fontibus quattuor scholarum praecipuarum Academiae, Peripati, Stoeae, Epicureorum hausta est; Cicero autem nihil novi ad scientiam spectans invenit.

Ex paucis locis jam patet, quantopere Cicero philosophorum graecorum auctoritatem aestimaverit:

«*Antiochus* in primis, qui me valde movet, vel quod amavi hominem sicut ille me, vel quod ita iudico politissimum eum et acutissimum omnium nostrae memoriae philosophorum» (*Luc.* 35, 113).

«Cum venissem Athenas sex menses cum *Antiocho* veteris Academiae nobilissimo et prudentissimo philosopho fui, studiumque philosophiae numquam intermissum a primaque adolescentia cultum et semper auctum hoc rursus summo auctore et doctore renovavi» (*Brutus*, 91, 315).

Cicero declarat:

«sequor... eas vias, quas didici ab *Antiocho*» (qui erat Academicus) (*Luc.* 30, 98).

«*Antiochus* Ascalonita scripsit acutissime» (*Ac. Post.* 2, 22, 68).

«Eram cum Stoico *Diodoto*, qui cum habitavisset apud me mecumque vixisset, nuper est domi meae mortuus; a quo cum in aliis rebus tum studiosissime in dialectica exercebar...» (*Brutus*, 90, 309).

(*Diodotus*... Stoicus), «quem a puero audivi, qui mecum vivit tot annos, qui habitat apud me, quem et admiror et diligo, qui ista Antiochea contemnit» (*Luc.* 36, 115).

(Cicero anno 79-78 Athenis audivit Zenonem, qui) «agriculus senex Epicureorum acutissimus» (a Tullio iudicabatur, *Tusc.* 3, 17, 38).

(*Zenon Epicureus*) «non ille, ut plerique Epicureorum, sed distincte, graviter, ornate disputabat» (*Nat. Deor.* 1, 21, 59).

«...ipse ad meam utilitatem semper cum graecis latina conjunxi neque id in philosophia solum sed etiam in dicendi exercitatione feci» (*Off.* 1, 1, 1).

«Meos amicos... in Graeciam mitto, ut ea (= praecepto philosophiae) e fontibus potius hauriant quam rivulos consectentur» (*Ac. Post.* 1, 2, 8; Cfr. *De Or.* 2, 27, 117).

Nunc ii loci, qui ad laborem scientificum ipsum pertinent, compluribus partibus divisi proponantur, atque primus agatur de historia:

«...inventi sunt, qui cum ipsi doctrina et ingeniis abundarent... hanc dicendi exercitationem exagitant atque contemnerent, quorum princeps *Socrates* fuit (3, 16, 60). Is, qui omnium eruditorum testimonio totiusque judicio Graeciae cum prudentia et acumine et venustate et subtilitate tum vero eloquentia, varietate, copia quam se cumque in partem dedisset, omnium fuit facile princeps, iis qui haec quae nunc nos quaerimus, tractarent, agerent, docerent, cum nomine appellarentur uno, quod omnis rerum optimarum cognitio atque in iis exercitatio *philosophia* nominaretur, hoc commune nomen erupuit sapienterque sentiendi et ornate dicendi *scientiam*, re cohaerentes, disputationibus suis separavit; cujus ingenium variosque sermones immortalitati scriptis suis Plato tradidit, cum ipse litteram *Socrates* nullam reliquisset» (*De Or.* 3, 16, 60).

«Cum... proprium sit Academiae iudicium suum nullum interponere, ea probare, quae simillima veri videantur, conferre causas et, quid in quamque sententiam dici possit, expromere, nulla adhibita sua auctoritate iudicium audientium relinquere integrum ac liberum, tenebimus hanc consuetudinem a *Socrate* traditam eaque inter nos... quam saepissime utemur» (*Div.* 2, 72, 150).

«Non... hominum interitu sententiae quoque occidunt, sed lucem auctoris fortasse desiderant, ut: haec in *philosophia* ratio contra omnia disserendi nullamque rem aperte iudicandi profecta a *Socrate*, repetita ab *Arcesila*, confirmata a *Carneade* usque ad nostram viguit aetatem, quam nunc propemodum orbam esse in ipsa Graecia intellego; quod non Academiae vitio, sed tarditate hominum arbitror contigisse» (*Nat. Deor.* 1, 5, 11).

«Peripateticos et Academicos *nominibus* differentes, *re* congruentes, a quibus Stoici ipsi verbis magis quam sententiis dissenserunt» (*Luc.* 5, 15).

«Eum censeo, qui eloquentiae laude ducatur, non esse earum rerum omnino rudem, sed vel illā antiquā (= Aristotelis *topicis*) vel hac *Chrysippi* (= Stoici) disciplina institutum» (*Or.* 32, 115) [Cicero hoc loco duas disciplinas logice diversas commemorat: Aristotelis logica *topicis*, ut videtur, ex Ciceronis sententia continetur; hujus autem libri Aristotelis Stoici rationem nullam habuerunt].

Transeamus jam ad singula.

«Ars... earum rerum est, quae sciuntur» (*De Or.* 2, 7, 30).

«Omnes... trahimur et ducimur ad cognitionis et *scientiae* cupiditatem, in qua excellere pulchrum putamus» (*Off.* 1, 6, 18).

«Omnis... cogitatio motusque animi aut in consiliis capiendis de rebus honestis et pertinentibus ad bene beateque vivendum aut in studiis *scientiae* cognitionisque versabitur» (*Off.* 1, 6, 19).

«Quod in rebus honestis et cognitione dignis operae curaeque ponetur id jure laudabitur, ut in astrologia... in geometria... *in dialecticis*... in jure civili; quae omnes *artes* in veri investigatione versantur» (*Off.* 1, 6, 19).

«*Ars* ex rebus penitus perspectis planeque cognitis atque ab *opinionis arbitrio* sejunctis scientiaque comprehensis definitur» (*De Or.* 1, 23, 108).

(Discamus) «*eas artes*, quae efficiant ut usui civitati simus; id enim esse praeclarissimum *sapientiae* munus maximumque virtutis vel documentum vel officium puto» (*Republ.* 1, 20, 33).

«Id... commune omnium fere est artium: aut enim nova sunt rerum novarum facienda nomina aut ex aliis (sc. rebus) transferenda» (*Ac. Post.* 1, 7, 25).

«Est... perspicuum nullam artem ipsam in se versari, sed esse aliud artem ipsam, aliud, quod propositum sit arti» (*Fin.* 5, 6, 16).

«*Aliud* est enim esse artificem cujusdam generis atque *artis, aliud* in communi vita et vulgari hominum consuetudine nec hebetem nec rudem» (*De or.* 1, 58, 248).

«*Neque* est omnino ars ulla, in qua omnia quae illa arte effici possint, a doctore tradantur. Sed qui primarum et certarum rerum genera ipsa didicerunt, reliqua per se non incommode persequuntur» (*De Or.* 2, 16, 69).

«*Ars* demonstrat tantum ubi quaeras atque *ubi* sit illud quod stupeas invenire; *reliqua* sunt in cura, attentione animi, cogitatione, vigilantia, assiduitate, labore, complectar uno verbo, quae saepe jam usi sumus: *diligentia*» qua una (virtute omnes) virtutes reliquae continentur» (*De Or.* 2, 35, 150).

«Inter ingenium et diligentiam perpaulum loci reliquum est arti» (*De Or.* 2, 35, 150).

«Istam artem (=dialecticam Stoicam) totam ditemus, quae in excogitandis argumentis muta nimium est, in judicandis nimium loquax» (*De Or.* 2, 38, 160).

«...cogitare debes *nullam artem* sine interprete et sine aliqua exercitatione percipi posse» (Epistula ad Trebatium = *ad fam.* 7, 19).

«Omnium magnarum *artium* sicut arborum altitudo nos delectat, radices stirpesque non item, sed esse illa sine his non potest» (*Or.* 43, 147).

«Non solum scire aliquid artis est, sed quaedam ars est etiam docendi» (*Leg.* 2, 19, 47).

«...alii... ut dialectici novum sibi ipsi studium ludumque pepererunt atque in *his artibus*, quae repertae sunt, ut puerorum mentes ad humanitatem fingerentur atque virtutem, omne tempus atque aetates suas consumpserunt» (*De Or.* 3, 15, 58).

«In omni... *arte* vel studio vel quavis scientia vel in ipsa virtute optimum quidque rarissimum est» (*Fin.* 2, 25, 81).

«Animus acer et praesens et acutus idem atque versutus invictos viros efficit non difficilius *arte* conjuncta» (*De Or.* 2, 20, 84).

«Omnis cognitio multis est obstructa difficultatibus, eaque est in ipsis rebus obscuritas et in iudiciis nostris infirmitas, ut non sine causa antiquissimi et doctissimi invenire se posse, quod cuperent, diffisi sint...» (*Luc.* 3, 7).

«*Invenire* et iudicare, quid dicas, magna illa quidem sunt et tamquam animi instar in corpore, sed propria magis prudentiae (= dialecticae) quam eloquentiae...» (*Or.* 14, 44).

«Nec ea, quae incerta permanent, *inventa* esse possunt, sed cum ea, quae quasi involuta fuerunt, aperta sunt, tum *inventa* dicuntur» (*Luc.* 8, 26).

Tum cognosci oportet quam de re propria agatur:

«Numquam enim, quale sit illud, de quo disputabitur, intellegi poterit, nisi, quid sit, fuerit intellectum prius» (*Republ.* 1, 24, 38).

«Omnis... in quaerendo quae via quadam et ratione habetur, oratio praescribere *primum* debet, ...ut, inter quos disseritur, conveniat, quid sit id, de quo disseratur» (*Fin.* 2, 1, 3).

«Doctorum est ista consuetudo eaque Graecorum ut iis ponatur de quo disputent quamvis subito magnum opus est agetque exercitatione non parva» (*Lael.* 5, 17).

«Non... tam auctores in *disputando* quam rationis momenta quaerenda sunt; qui discere volunt, auctoritas eorum, qui se docere profitentur; desinunt enim suum iudicium adhibere, id habent ratum, quod ab eo, quem probant, iudicatum vident» (*Nat. Deor.* 1, 5, 10).

«Nec... probare soleo id, quod de Pythagoreis accepimus quos ferunt: si quid adfirmarent in disputando, cum ex eis quaeretur, quare ita esset, respondere solitos: «ipse dixit»; «Ipse» autem erat Pythagoras» (*Nat. Deor.* 1, 5, 10).

«Socrates... de se ipse detrahens in disputatione plus tribuebat iis, quos volebat refellere» (*Luc.* 5, 15).

Porro res ex eius nomine explicanda est.

«Ingrediar in disputationem ea lege, qua credo omnibus in rebus disserendis utendum esse, si errorem velis tollere ut eius rei, de qua quaeretur, si nomen quod sit, conveniat, explicetur, quid declaretur eo nomine; quod si convenerit, tum demum decebit ingredi in sermonem» (*Republ.* 1, 24, 38).

«Quid sit ipsa natura, explicandum est ante breviter, quo facilius id, quod docere volumus, intellegi potest» (*Nat. Deor.* 2, 32, 81).

«Quidquid quaeritur, id habet... nominis controversiam» (*Fin.* 4, 3, 6).

«Erit... notius, quale sit, pluribus notatum vocabulis idem declarantibus» (*Fin.* 3, 4, 14).

«...nobis... parienda sunt imponendaque nova rebus novis nomina; quod quidem nemo mediocriter doctus mirabitur cogitans in omni arte, cujus usus vulgaris communisque non sit, multam novitatem nominum esse, cum constituentur earum rerum vocabula, quae in quaque arte versentur» (*Fin.* 3, 1, 3).

«Dabit... ut in rebus inusitatis, quod Graeci ipsi faciunt,... utamur verbis interdum inauditis» (*Ac. Post.* 1, 6, 24).

«In principio fieri in omnibus *disputationibus* oportere censeo, ut quid illud sit, de quo disputetur, explanetur, ne vagari et errare cogatur oratio, si ii, qui inter se dissenserint non idem etiam illud, quo de agitur, intelligant» (*De Or.* 1, 48, 209).

«In omni re difficillimum est, formam, qui «character» graece dicitur, exponere optimi, quod aliud aliis videtur optimum» (*Or.* 11, 36).

«Existimavi in omnibus rebus esse aliquid optimum, atiamsi lateret, idque ab eo posse, qui ejus rei gnarus esset, judicari» (*Or.* 11, 36, fine).

«In omnibus, quae ratione *docetur* et via, primum constituendum est, *quid* quidque sit...» (*Or.* 33, 116).

«Nisi inter eos, qui disceptent, *convenit quid* sit illud de quo ambigitur, nec recte disseri nec umquam ad exitum perveniri potest...» (*Or.* 33, 116).

«Semper... ex eo, quod maximas partes continet latissimeque funditur, tota res *appellatur*» (*Fin.* 5, 30, 92).

«Cum omnis controversia aut de re soleat aut de nomine esse, utraque earum nascitur, si aut res ignoratur aut erratur in nomine» (*Fin.* 4, 20, 57).

«Adsiduitate cotidiana et consuetudine oculorum adsuescunt animi neque admirantur neque requirunt rationes earum rerum, quas semper vident, proinde quasi novitas nos magis quam *magnitudo* rerum debeat ad exquirendas causas excitare» (*Nat. Deor.* 2, 38, 96).

«Sunt... qui quod sentiunt, etsi optimum sit, tamen invidiae metu non audeant dicere» (*Off.* 1, 24, 84).

(Ratione et intellegentia) «quibus utimur ut apertis obscuro adsequamur» (*Nat. Deor.* 3, 15, 38).

«Qui (= libri Topicorum Aristotelis) quamquam plurimi sunt, doctorem tamen usumque desiderant» (epistula ad Trebatium = *ad fam.* 7, 19 (anno 43)).

«*Diligentia*... omnibus in rebus... plurimum valet; haec praecipue colenda est nobis, haec semper adhibenda, haec nihil est quod non adsequatur» (*De Or.* 2, 35, 148).

«In omnibus... negotiis, priusquam adgrediare, adhibenda est *praeparatio diligens*» (*Off.* 1, 21, 73).

«Tardi ingenii est rivulos consecrari, fontes rerum non videre, et jam aetatis est ususque nostri a capite, quod velimus, arcessere et, unde omnia manent, videre» (*De Or.* 2, 27, 117).

«Omnis... quae ratione suscipitur de aliqua re institutio debet a *definitione* proficisci, ut intellegatur quid sit id de quo disputetur» (*Off.* 1, 2, 7).

«Erit... haec facultas in eo, quem volumus esse eloquentem, ut definire rem possit neque id faciat tam presse et anguste quam in illis eruditissimis disputationibus fieri solet, sed cum explanatius tum etiam uberius et ad commune iudicium popularemque intellegentiam accommodatius» (*Or.* 33, 147).

«Est definitio rerum earum, quae sunt ejus rei *propriae*, quam definire volumus, brevis et circumscripta quaedam explicatio» (*De Or.* 1, 42, 189).

«Est enim, cum inter doctos homines de iis ipsis rebus, quae versantur in artibus, disputatur, verborum definitio, ut cum quaeritur quid sit ars, quid sit lex, quid sit civitas; in quibus hoc praecipit *ratio atque doctrina*, ut vis ejus rei, quam definias, sic exprimatur, ut neque absit quidquam neque supersit» (*De Or.* 2, 25, 108).

«*Genera* rerum primum exponantur, in quo vitium est, si genus ullum praetermittitur; deinde singulorum partes generum (exponantur), in quo et deesse aliquam partem et superare *tum* verborum omnium definitiones (exponantur) in quibus neque abesse quidquam decet neque redundare» (*De Or.* 2, 19, 83).

«Definitiones... et partitiones et locorum luminibus utens oratio, tum similitudines dissimilitudinesque et earum tenuis et acuta distinctio fidentium est hominum illa vera et firma et certa esse, quae tutentur, non eorum, qui clament nihilo magis vera illa esse quam falsa» (*Luc.* 14, 43).

«Cum autem quid sit quaeritur, *notio* explicanda est et *proprietas* et *divisio* et *partitio*; haec enim sunt definitioni attributa» (*Top.* 22, 83).

«Praeterire aliquid maximum vitium in dividendo (est)» (*Off.* 1, 3, 10).

«Idem (sc. eloquens) cum res postulabit, genus universum in species certas, ut nulla neque praetermittatur neque redundet, partietur ac dividet» (*Or.* 33, 117).

«Quod in universo sit probatum, id in parte sit probari necesse» (*Or.* 14, 45).

«*Latius*... de genere quam de *parte* disceptare licet» (*Or.* 14, 45).

«Argumenti conclusio, quae est graece *apodeixis*, ita definitur: ratio quae ex rebus perceptis ad id, quod non percipiebatur, adducit» (*Luc.* 8, 26).

«Causarum... ignoratio in re nova mirationem facit; eadem ignoratio si in rebus usitatis est, non miramur» (*Div.* 2, 22, 49),

«Si *causae* non reperiantur istarum rerum, *res* tamen ipsae observari animadvertique potuerunt» (*Div.* 2, 21, 47).

«Quasi ego aut fieri concederem aut esset philosophi: causam cur quidque fieret, non quaerere» (*Div.* 2, 20, 46).

«Cum *fontes* viderimus, quos nisi qui celeriter cognovit, numquam cognoscet omnino, tum quotienscumque opus erit, ex iis tantum, quantum *res petet*, hauriemus» (*De Or.* 3, 31, 123).

«Ea e fontibus potius hauriant quam rivulos consectentur» (*Ac. Post.* 1, 2, 8).

«Totius... quaestionis ejus, quae habetur de finibus bonorum et malorum... fons reperiendus est, in quo sint prima invitamenta naturae; quo invento omnis ab eo quasi capite... disputatio ducitur» (*Fin.* 5, 6, 17).

«Sequemur... Stoicos non ut interpretes, sed ut solemus, e *fontibus* eorum *judicio arbitrioque nostro*... hauriemus» (*Off.* 1, 2, 6).

«Et *sapientis est consilium* explicare *suum* de maximis rebus et *honesti* et *diserti*, ut mente providere, auctoritate probare, oratione persuadere possis» (*De Or.* 2, 81, 333).

«Ne in maximis quidem rebus quidquam adhuc inveni firmitus, quod tenerem aut quo iudicium meum dirigerem, quam id, quodcumque mihi quom *simillimum veri* videretur, cum ipsum illud *verum* in occulto lateret» (*Or.* 71, 237).

«Quaestio... est adpetitio cognitionis, quaestionisque finis (est) inventio» (*Luc.* 8, 26).

«(Quaestiones) cognitionis sunt eae, quarum est finis *scientia*. Cognitionis quaestiones tripartitae sunt: aut sitne, aut quid sit, aut quale sit, quaeritur. Secundum (= quid sit) definitione... explicatur» (*Top.* 21, 82).

«Ego neque in causis, si quid est evidens, de quo inter omnes conveniat, argumentari soleo» (*Nat. Deor.* 3, 4, 9).

«Argumentis et rationibus oportet, quare quidque ita sit, docere» (*Div.* 2, 11, 27).

«Faciendum videtur, ut diligenter etiam atque etiam argumenta cum argumentis comparemus...» (*Div.* 1, 4, 7).

«Perspicuitas... argumentatione elevatur» (*Nat. Deor.* 3, 4, 9).

«Cum antiquissimam sententiam tum omnium populorum et gentium consensu comprobata sequor» (*Div.* 1, 6, 11).

«Cum de *rebus* grandioribus dicas ipsae *res verba* rapiunt; ita fit cum gravior tum etiam splendidior oratio» (*Fin.* 3, 5, 19).

«Ita facile in rerum abundantia ad orationis ornamenta sine duce natura ipso, si modo est exercitata, delabitur» (*De Or.* 3, 31, 125).

«Rerum copia verborum copiam gignit» (*De Or.* 3, 31, 125).

«Omnia, quaecumque in hominum disceptationem cadere possunt, *bene sunt* ei dicenda qui *hoc se posse* profiteretur... *Bene dicere* autem... *scienter et perite et ornate dicere*» (*De Or.* 2, 2, 5).

«Rem... opinor spectari oportere, non verba» (*Tusc.* 5, 11, 32).

«Loquor... de docto homine et erudito, cui *vivere est cogitare*» (*Tusc.* 5, 38, 111).

«Plane... et perspicue expedire posse docti et intellegentis viri (sc. est)» (*Fin.* 3, 5, 19).

«Sit modo is, qui dicet aut scribet, *institutus* liberaliter educatione doctrinaque puerili et flagret studio et a natura adjuvetur et in universorum *generum* infinitis disceptationibus exercitatus ornatissimos scriptores oratoresque ad cognoscendum imitandumque delegerit, ne ille *haud sane*, quemadmodum verba struat et illuminet, a magistris istis requiret» (*De Or.* 3, 31, 125).

«Hanc cogitandi pronuntiandique rationem vimque dicendi veteres Graeci *sapientiae* cognitio ipsa rerum consideratioque delectat» (*Republ.* 1, 13, 19).

«Omnesque avidos *sapientiae* cognitio ipsa rerum consideratioque delectat» (*Republ.* 1, 13, 19).

«Nec *latius* neque *copiosius* de magnis variisque rebus sine *philosophia* potest quisquam dicere» (*Or.* 4, 14).

«Difficile est... in *philosophia* pauca esse ei nota, cui non sint aut pleraque aut omnia (nota); nam nec pauca nisi e multis eligi possunt nec, qui pauca percepit, non idem reliqua eodem studio persequetur» (*Tusc.* 2, 1, 1).

«In *philosophia*... res spectatur, non verba penduntur...» (*Or.* 16, 51).

«Nihil debet esse in *philosophia* commenticiis fabellis loci» (*Div.* 2, 38, 80).

«Nec vero sine *philosophorum* disciplina genus et speciem cujusque rei cernere neque eam definiendo explicare nec tribuere in partes possumus nec iudicare quae vera quae falsa sint neque cernere consequentia, repugnantia videre, ambigua distinguere» (*Or.* 4, 16).

«Agitatio mentis, quae numquam adquiescit, potest nos in studiis cognitionis etiam sine opera nostra continere. Omnis... cogitatio motus animi... in studiis scientiae cognitionisque versabitur» (*Off.* 1, 6, 19).

«Quidquid... a *sapiente* proficiscitur, id continuo debet expletum esse *omnibus suis partibus*; in eo enim positum est id, quod dicimus esse expetendum» (*Fin.* 3, 9, 32).

«Non potest... dubitari quin decretum nullum falsum possit esse sapientis neque satis sit non esse falsum, sed etiam stabile, fixum, ratum esse debeat, quod movere nulla ratio queat» (*Luc.* 9, 27).

«*Dicere bene* nemo potest nisi qui prudenter intellegit» (*Brutus*, 6, 23).

«*Dialecticorum*... verba nulla sunt publica, suis utuntur» (*Ac. Post.* 1, 7, 25).

«Zenoni licuit cum *rem* aliquam invenisset inusitatam, inauditum quoque ei rei nomen imponere» (*Fin.* 3, 4, 15).

«Neque tam est acris acies in naturis hominum et ingeniis, ut res tantas quisquam nisi monstratas possit videre; neque tanta tamen in rebus obscuritas, ut eas non penitus acri vir ingenio cernat, si modo aspexerit» (*De Or.* 3, 31, 124).

Veritas disputatione rei percipi debet:

«Ex falsis... verum effici non potest» (*Div.* 2, 51, 106).

«Alterutri necesse est falsum dicere» (*De Or.* 2, 7, 30).

«Concludi argumentum non potest nisi iis, quae ad concludendum sumpta erunt, ita probatis, ut falsa ejusdem modi nulla possunt esse» (*Luc.* 14, 44).

«Non potest... esse memoria falsorum» (*Luc.* 7, 22).

«Prima historia lex est, ne quid *falsi* dicere audeat; deinde ne quid *veri* (dicere) non audeat; ne quae suspicio *gratiae* sit in scribendo; ne quae (suspicio) simultatis (sit in scribendo); haec fundamenta nota sunt omnibus» (*De Or.* 2, 15, 62-63).

«Hoc ego philosophi non esse arbitror: testibus uti, qui aut casu *veri* aut malitia *falsi* fictique esse possunt...» (*Div.* 2, 11, 27).

«Haec... est regula totius philosophiae: constitutio veri falsi, cogniti incogniti» (*Luc.* 9, 29).

«Plus uno *verum* esse non potest» (*De Or.* 2, 7, 30).

«Licet verum exquirere sine invidia...» (*Div.* 2, 12, 28).

«Nec modus est ullus investigandi veri, nisi inveneris, et quaerendi defetigatio turpis est, cum id, quod quaeritur, sit pulcherrimum» (*Fin.* 1, 1, 3).

«Natura inest in mentibus nostris insatiabilis quaedam cupiditas *veri* videnti» (*Tusc.* 1, 19, 44).

«In primisque hominis est propria veri inquisitio atque investigatio» (*Off.* 1, 4, 13).

«(In) ea parte... in qua sapientiam et prudentiam ponimus, inest indagatio atque inventio *veri*» (*Off.* 1, 5, 15).

«Ut... quisque maxime perspicit, quid in re quaque verissimum sit, quique acutissime et celerrime potest et videre et explicare rationem, is prudentissimus et sapientissimus rite haberi solet» (*Off.* 1, 5, 16).

«Omni in re quid sit veri videre et tueri decet...» (*Off.* 1, 27, 94).

«Cogitatio in *vero* exquirendo maxime versatur» (*Off.* 1, 36, 132).

«Verum invenire sine ulla contentione volumus idque summa cura studioque conquirimus» (*Luc.* 3, 7).

«Sapientia (est) quae neque de se ipsa dubitare debet neque de suis decretis, quae philosophi vocant dogmata, quorum nullum sine scelere prodi poterit; cum enim decretum proditur, lex veri rectique proditur» (*Luc.* 9, 27).

«Nihil... est ei (= menti hominis) veritatis lucis dulcius» (*Luc.* 10, 31).

«Veri... et falsi non modo cognitio, sed etiam natura tolletur, si nihil erit, quod intersit» (*Luc.* 18, 58).

«Restat... veri inveniendi causa contra omnia dici oportere et pro omnibus» (*Luc.* 18, 60).

«Hoc pulcherrimum esse iudico vera videre» (*Luc.* 20, 66).

«Omnibus in rebus temeritas in adsentiendo errorque turpis est...» (*Div.* 1, 4, 7).

«(Vitandum est) ne temere vel falsae rei vel non satis cognitae adsentiamur...» (*Div.* 1, 4, 7).

«Ii ipsi saepe falluntur, qui nihil sine certa ratione opinantur» (*Div.* 2, 6, 16).

«In omnibus iis rebus, quae conjectura investigari videntur, anceps reperitur *ratio*» (*Div.* 2, 26, 55).

«Falluntur ii, qui nihil sine aliqua probabili conjectura ac ratione dicunt...» (*Div.* 2, 6, 16).

«Neque sit ignota consuetudo tua contrarias in partes disserendi, quod ita facillume verum inveniri putes» (*Republ.* 3, 5, 8).

«Sunt in plerisque (viris doctis) contrariarum rationum paria momenta» (*Luc.* 39, 124).

«(Est) levitas temere adsentientium» (*Luc.* 38, 120).

«Auctoritatem... nullam debemus nec fidem commenticiis rebus adjungere» (*Div.* 2, 55, 113).

«Non omnis error stultitia dicenda est» (*Div.* 2, 43, 90).

«Quas... res tum natura, tum casus adfert, nunnumquam etiam errorem creat similitudo» (*Div.* 2, 26, 55).

«Errabat... multis in rebus antiquitas» (*Div.* 2, 33, 70).

«...ad instituendos adolescentulos magis aptum est, ut, simulac posita causa sit, habeant quo se referant unde statim expedita possint argumenta depromere...» (*De Or.* 2, 27, 117).

«Eloqui copiose, modo prudenter, melius est quam vel acutissime sine eloquentia complectitur eos, quibuscum communitate juncti sumus». (*Off.* 1, 44, 156).

CONCLUSIO: Tot verbis de scientia factis elucet Ciceronem maximo amore philosophiae plenum fuisse, quippe qui cottidie fere cum philosophis colloqueretur, a quibus regulae scientiae tantum tradebantur et disci poterant; ea quae Tullius supra dixit sententiis sapientium et doctorum clarissimorum graecorum continentur, non autem ipsius Ciceronis mente sunt creata; sed tamen Tullius jure laudandus est, quod libris suis ad philosophiam in Italia divulgandam spectantibus etiam praecepta laboris «scientifici» uberrime protulit; magno certe commodo semper erit hos locos lectitare et diligentissime adhibere; nulla enim invidia nulloque odio aliorum auctorum aequalium romanorum liberrime, quid vera esset scientia, dixit, ut etiam hanc ob causam in philosophis possit numerari Cicero.

AEMILIUS (EMIL) ORTH

DE HANNIBALE

Hannibalis nomen cum ad aures accidit, ille dux praeclarissimus velut vivus in conspectum venit, quo majorem aetas illa non tulit quique Romanis cunctas gentes mediterraneas ditioni suae subjicere conantibus sese propugnaculi instar objecit et post bella prospere gesta a patria destitutus et amico perfido proditus sumpto veneno e vita cessit. Quam suspenso animo olim ejus Alpium transitum, pugnas ad Trebiam flumen, ad lacum Trasumenum et Cannas factas legi! Quantopere homines, quos hodierna juventus summi facere solet, obscurantur, qui currendo, natando, equitando, curru automato vehendo, pugno pugnando famam sibi ac gloriam adipiscantur. Ideo vobis hodie Hannibalem ante oculos pono, vestra laude dignissimum.

Situs loci ac natura pubescentibus gentibus Europaeis maximi ponderis fuit. Nationes enim a mari multum remotae mercaturam maritimam, unde divitiae nasci solent, exercere non possunt. Quare fines ad oras maritimas proferre consueverunt. Historia graeca nunquam tam nobilis evasisset nec Italia maris mediterranei regina nisi situ maritimo peculiari. Idem de Poenis dicendum. Vertente decimo a. Chr. n. saeculo nautae Sidonii in ea, qua postea Carthago florebat, regione consederunt. Sed cum urbis Sidonis gloria defloruisset, Elissa regina clam cum magna nobilium parte urbe egressa na-ves ad oras Libycas appulisse et Carthaginis fundamenta posuisse fertur. Crescebat urbs et temporum opportunitate et industria incolarum, qui, natura nautae audaces, non ita multo post cum Graecis, Aegyptiis, Hispanis, Mauris, quin etiam cum Britannis mercaturam faciebant. Carthago solum natale Hamilcari, duci illustrissimo et Romanorum hosti acerrimo. Tres ei filii: Hannibal, Hasdrubal, Mago. Dicitur Hannibal novennis a patre jussus ante eam in Hispaniam expeditionem ara sacra manu tacta jurasse sese nunquam Romanis fore amicum. Pueritiam in Hispania agebat, in omni omnium armorum genere apprime versatus et a Sosylo Spartano artibus bonis et lingua graeca optime imbutus. Hamilcare patre anno 227 a. Chr. proelio caeso exercitus Hannibalem equitum ducem creavit. Veteranis idem ac pater conspiciebatur: idem in incessu et habitu robur, eadem obtutus vis magica, iidem vultus et gestus. Ingenio facili et affabili omnium animos sibi conciliabat, ducibus et militibus aequae carus. Labores militiae vires augere videbantur. Aestus pariter ac frigoris patiens, somni cibi que admodum parcus, in expeditionibus aquam aceto mixtam vino praeferebat. Spreto molli stramine sago involutus inter vigiles huc illuc euntes cubabat humi. Ipse, eques peritissimus triennio equitatum clarissimum, quo tot posthac victorias pareret, sibi educabat.

Interim Romani tota fere Italia a Pado flumine usque ad Siciliam subacta regni fines latius proferre et mari mediterraneo dominari studebant. Hinc tot cum Carthagine bellorum origo, regni Punici interitus, urbis florentissimae excidium. Hamilcar primo bello Punico victus, occupata a Romanis Sardinia et Corsica inde ab anno 237, omnes ad Hiberum flumen gentes Hispanas subjecerat, cum Romani Hasdrubalem, Hamilcaris successorem, Hiberum transgredi vetant et Saguntum urbem contra Poenos tueri incipiunt. Sed interfecto a sicario venali anno 221 Hasdrubale, Hannibal, patris ingenii et in Romanos odii simillimus, ab exercitu dux creatus Saguntum oppugnat et octo dierum obsidione capit captamque diripit. Deinde cum legati Romani eum expoposcissent, ipse hostes suo populo infestissimos in ipsorum finibus aggredi et devincere statuit. Ita eo tempore proelium quo clarius et audacius totius orbis historia vix ullum notarit, fieri coeptum est. Movit igitur Hannibal castra, Novam Carthaginem maturavit indeque cum nonaginta peditum et duodecim equitum milibus et triginta et septem elephantis ineunte vere anni 218 profectus est. Jam transito Hiberi Celtiberi a Romanis stimulatū exercitū haud parvum detrimentum infert. Dimissis sponte Hannibal novem militum milibus, qui itineris longinquitatem timebant, et superatis Pyrenaeis montibus mense Septembri ad Rhodanum flumen pervenit. Flumen autem rapidum erat et ponte vadoque, quibus copiae transirent, carebat. Hannibal accolas Gallos muneribus permovet, sibi ut naves commodent. Quae desunt, Galli et milites suo quisque modo rudi fabricant. Jam biduo post classis mira ad transmittendas copias parata. Sed alteram fluminis ripam hostes occupatam tenebant, ut exercitus transjectionem impedirent. Quare Hannibal Hamonem ducem cum aliqua copiarum parte flumine adverso iter unius diei ire iussit, Rhodanum vadosum transire et fumo, cum transisset, significare. Hamo transmissio exercitu flumen secundum secutus, ubi primum ad hostium castra clam accessit, sese prope esse fumo significavit. Quod Hannibal conspiciens classem cum militibus traicere parat. Ridere Galli et ululare et transmittentem hostem repellere leve negotium putare. Victoriae autem spem Hamo a tergo subito adortus abscidit. Ideo hostes duplici pressi impetu diffugiunt et Hannibal ripam occupat. Inde copias victrices primum sinistra Rhodani ripa eo duxit, ubi Isara flumen influit, tum sinistra hujus torrentis progressus ad Alpiū radices devenit. Hic nobilis illa Alpiū transgressio incipit, quae Hannibalem clarum esset redditura.

Milites Alpes glacie nivibusque perpetuis candentes conspicati multum terrebantur. At dux: «Nullum impedimentum militi aram ferenti. Nam Gallos aditum prohibentes jam vicistis. Post Alpes Italia! «Iter ad montem St. Bernardi minorem novem tenebat dies. Omnia mala conjurasse videbantur. Copiae frigori non assuetae et fame vexatae magnopere premebantur. Nives exercitū stramen, manus frigore torpentes, deerant equis pabula, nives mul-

tae fiebant, frigus saeviebat. Viri, equi, elephantum praecipites in altum ruebant. Negotium desperatum videbatur. At dux intrepidus inter tot adversa animos non demittebat. Superato denique monte duodecim tantum milia Libyorum, octo Hispanorum, sex equitum restabant et triginta elephantum, omnes laboribus ac fame exhausti. Jam via in vallem Doram Balteam permoenam descendebat. Hannibal omnem dat operam, ut hortatu, alimoniis, quiete milites debilitatos et equos maceratos recreet. Postquam vires satis refecerunt, ipse Augustam Taurinorum ex itinere aggressus cepit cum terrore Scipionis, qui e Massilia ad eum comprimendum sero advenerat. Stabat igitur Hannibal contra Romanos copiarum numero fortiores; sed brevi apparerebat ipsum indole militari multo superiorem fore.

Frigente Decembri inter procellas nivasas exercitum hostilem decem milibus majorem, ut Trebiam flumen transgrederetur pellexit transgressoque tantam intulit cladem, ut solum decem milia in fuga effusa salutem posuerint. Qua victoria Celtae transpadani, jugi Romani impatientes, insurgunt et bellum conjungunt. Nec tamen res difficultatibus carebat. Fuere quidem Celtae audaces et temerarii, sed dicto parum oboedientes neque ingeniosam, qua Hannibal bella gerere solebat, artem satis perspicientes. Recta eum Romam petere totamque Italiam devastare volebant. A quo negotio cum abstinere sensissent, eum pro proditore habere coeperunt. Sola vestis mutata eum a sica servavit. Jam tempore favente Hannibal anno 217 in meridiem versus accessit. Duplici autem ab hoste occupato aditu copias per Etruriae stagna cum summo discrimine duxit. Per invias paludes vadentes, luto haerescetes, insomnes quadriduum membra aegerrime trahentes tandem e stagnis emergerunt. Permultos aqua, lutum, inedia, fames absumpserat. Perierat magna equorum pars et elephantum uno excepto. Tandem cum in sicco constitissent, ducem altero oculo captum conspexere. Qui data militibus reficiendis quiete per speculatores explorat quae sit locorum natura, quid Flamini consilii qualeque ingenium. Ubi regionis naturam satis perspexit et Flaminium sibi oppositum temerarium cognovit, consilium rei perficiendae clarissimum iniit. Est enim ducis militaris omnium rerum rationem habere. Hac norma Hannibal prudentissime semper, maxime autem in pugna apud Lacum Transumentum usus est. Cum haud ignoraret morem esse imperatorum romanorum, ut agmine conglobato et summa vi hostem aggredierentur, quo facilius primo impetu sternerent, eo ipso pugnandi genere Romanos perdere voluit. Breve parandi spatium. In dextrum et sinistrum saltum praeruptum pedites abdit, equites in locum ad hostes a tergo adoriendos peridoneum. In fronte lacus ipse hostium fugam impedit. Dux in colle edito, unde totam regionem prospiciat, consistit. Interim Flaminius Aretio egressus non procul a lacu castra ponit, prorsus inscius sese jam undique cingi. Ante solis ortum ad hostem a tergo —ut putat— aggrediendum maturat. Ubi primum copiarum agmen conglobatum intra saltus veluti fauces consistit, prorsus inopinatum,

Hannibal cornibus pugnandi dat signum. Ilico e saltibus Poeni decurrunt, Romanis ob loci angustias nulla distrahendi globos facultate facta. Perturbantur agm. num globi. Deest consilium, deest quo regantur imperium. Sed miseriarum affert cumulum equitatus a tergo adortus. Caedes fit atrocissima, cum nullus sit fugae locus. Nebulis dispulsis matutinis quindecim Romanorum milia caesa humi jacent, decem dant manus. Haec nobilis Hannibalis victoria gloriam ac famam in saecula diffudit. Quot deinceps imperatores hac pugnandi ratione utentur! Jam media Italia milite spoliata iter versus Romam patebat victori. «Hannibal ante portas!».

Ipse autem nunquam temerarius, semper sui compos et quid data occasione efficere posset gnarus, Romam, cum a reliqua Italia separasset, devincendi consilium iniit. Quapropter copias defatigatas in Umbriae et Piceni fines deductas aliquamdiu quiescere jussit. Tum Romani Hannibalem Urbem, quae a Brenno Gallo anno 386 capta, direpta et concremata nullum jam hostem viderat, aggressurum fore arbitrati Fabium Maximum elegerunt dictatorem. Qui Hannibali, quamvis ipsum totiens pugna lacesivisset, nunquam proeliandi copiam fecit, inde nomen Cunctatorem adeptus. Sed populus romanus cunctandi rationis pertaesus de re armis decidere volebat ideoque Aemilium Paulum et Terentium Varonem consules delegit. Ille quidem a pugna abstinuit, hic indole sua fretus praebuit Hannibali occasionem. Facta est igitur nota apud Cannas Apuliae pugna die 2 mensis Augusti anno 216. Hannibal etsi octoginta peditum et sex equitum milibus solum quadraginta milia peditum et decem equitum opponere poterat, tamen bellandi ingenio clarissimo hostibus celeberrimam intulit cladem. Namque septuaginta Romanorum milia, inter quae ipse Aemilius Paulus et consularium senatorumque flos, gladio voranti succubuerunt.

Praetereamus silentio, quae annis insequentibus acciderunt. Jam Hannibalem fortuna varia, qua favente tot victorias ab hoste infesto reportarat, paulatim destituere incipiebat. Namque anno 203 a civibus invidis revocatus aegre ex Italia decessit lacrimis vix contentis. Probro vertebat Carthagini, quod negatis subsidiis suam et patriae fortunam evertisset. Non Romani, sed senatus Carthaginensis invidia Hannibalem vicit. Interim Cornelius Scipio Africanus, quo illustriorem Roma vix tulit, in publicum prodierat. Homo artibus liberalibus optime instructus, indole politica pariter ac militari praeditus, ingenio affabili, omnibus maxime probatus et acceptus, Hannibalis ingenium semper admiratus. Is rebus in Hispania et ipsa Africa prospere gestis bello jam conficiendo praeficitur. Hannibal, vicissitudines fortunae expertus, ubi primum, quo loco Scipio castra collocasset, didicit, ad Zamam urbem propius accessit. Interim capti a Scipione aliquot exploratores Carthaginenses et perhumaniter tractati ad suos redierant. Hannibali colloquium poscenti annuit Scipio nobilissimus. Prope Naraggaram conveniunt. Monet Hannibal fortunam mobilem, offert Siciliam, Sardiniam, Hispaniam.

«Mare solum nos in posterum separabit. Quid amplius desideras?». Sed cum alter plura postulet, re infecta discedunt. Ad arma igitur descendetur.

Jam jam acies instruitur. Uterque dux, summi rei momenti gnarus, concursat, milites adhortatur additque ex pugna instanti pendere et Carthaginis et Romae salutem. In loco, ubi aestu arena ardet, proelium committi incipit. Copiae Hannibalis pugnis assuetae et tot victoriis victrices priores conserunt manus. Medio in certamine interque veterans conspicitur dux, voce unumquemque cohortans. Persuasum habet se vincere oportere, priusquam equitatus hostilis ex persecutione redisset. Utrimque acerrime pugnatur. Urit sol, sudor per membra manat, arena cruore effuso rubefit, cadavera coacervantur. Dum uterque exercitus ancipiti Marte proeliatur, subito equitatus romanus redux a tergo adoritur. Victoria ferme parta vertit in cladem. Brevi milia Carthaginensium sternuntur. Viginti trucidatorum milia arenam rubentem contegunt. Alta ex fuga reprehensa cadunt. Ipse Scipio ingenio Hannibalis minime detrectat, sed rationem, qua decertavit, admiratur et praedicat. Vicisset profecto Hannibal, nisi equitatus inclinatae aciei auxilio venisset.

Victus igitur vix vincendus e strage clam elapsus citissimo bidui itinere Carthaginem maturavit senatum rogatum ut pacis condiciones acciperet. Sese puerum novem annorum urbem reliquisse et virum quadraginta annorum et quinque redisse. Rogare se et flagitare ut condiciones Scipionis aequas acciperent. Omnes ad ejus sententiam accesserunt. Pace facta ipse in urbe homo privatus vivebat, sed quaecumque in patria et regno Romanorum gererentur intensissimus. Quadriennio post jussu populi «sufes» i. e. summus dux est factus. Vulnera bello diutino patriae inflicta curare studet. Rem argentariam aerariumque publicum ordinat, officiales inhabiles et fraudibus implicatos munere privat, militibus agros concedit oleasque plantare docet.

Sed Romanis, victo licet hoste infestissimo, pace frui non licebat. Nam Celtae transpadani libertatis amantes insurgunt, gentes Hispanae jugum romanum aegerrime ferunt, Antiochus Syriae rex fines regni latius in dies profert. Tum Hannibal aptum tempus ratus cum eo rem communicare coepit. Quod ubi Romae innotuit, senatus hostem acerrimum perdi postulavit. Idcirco Hannibal clam anno 195 ad Antiochum profugit ei que persuasit, ut Romanos, orbis terrarum hostes, adoriretur. Sola eos in ipsa patria devincendos. «Da mihi centum naves longas, decem milia peditum et mille equites, jam exhausta continuis bellis Italia rem feliciter conficiam». «Est rota fortunae varia ut rota lunae: crescit, decrescit in eodem sistere nescit». Id Hannibal quoque sensit. Antiochus consilium non quidem abnuit, sed, ut saepe fit, fatum alio vergebat. Anno igitur 192 Antiochus ad liberandam Graeciam profectus apud Thermopylas victus, biennio post bellum redintegavit. Sed prope Magnesium Asiae summam accepit cladem. Victores Hannibalem belli auctorem rati —exercitus enim similes habebant— tradendum

exposcerunt. Qui, profugus a Prusia Bithyniae rege praedium amplum accipit et prope Libissam ad oram Propontidis occultus hostibus habitat. Sed gnarus Romanos ipsum ubique terrarum fore persecuturos, cuniculos, quibus instante periculo effugeret, sub domo effodiendos curarat. Quod divinarat, brevi contigit. Etenim Romani, cognito profugi refugio, Flaminium miserunt, ut a Prusia homine molli profugum exposceret. Qui ut fera nobilis, quam nullibi hostes quiete consistere sinunt, de Flaminii adventu certior factus, tamen arce sua fretus, remanet. Paucis post diebus puer, qui ei inserviebat, Prusiae armatos ante portam esse nuntiat. Hannibal, dum omnia perlustrat, praedium totum a milite cinctum et cuniculos praeclosos animadvertit. Nullum jam effugium arbitratus et interiorum domus partem ingressus, deos hospites de violatis a Prusia perfido legibus testatus, ira deorum in caput proditoris ipsiusque regni invocata, venenum, quod ab illa in Hispaniam expeditione patre Hamilcare comitatus secum ferebat, sumit. «Libere-remus», inquit «ab angore perpetuo tandem Romanos, qui antiqui hostis mortem exspectare non possint».

Sic e vita cessit morte voluntaria Hannibal anno 183, senex sexaginta annorum, eodem quo Scipio adversarius perhumanus. Iudicio Napoleonis aliorumque dux illustrissimus, a Scipione maximi aestimatus, a Romanis conviciis cumulatus, patriae ipsi, de qua optime meruerat, suspiciosus et invisus. Sed quae aequales et adversarii impie nefarieque in eum peccaverant, ea posterum pergrati sarcire studuerunt.

N. MANGEOT, S. J.

EPISTULARUM INTER SOCIOS COMMERCIIUM

P. Caelestis Eichenseer, O. S. B. Josepho Mariae Mir Domino doctissimo atque illustrissimo, S. P. D.

Ingenti gaudio, Domine desideratissime¹, jam die tertio mensis januarii fasciculum quartum PALAESTRAE LATINAE accepi, in quo pereleganter atque scitissime de birota ejusque partibus latine denominandis describendis egisti. De qua tractatione tua tibi ex animo gratulor...

Sed quid de *birota automataria* seu *autobirota*, ut ait Antonius Bacci (in lexico suo, p. 91), potestne etiam dici *motobirota*? Legistine vocabulum ita compositum jam alicubi?

Valde autem gavisus sum, quod verba mea, quibus illam commentationem de praecepto praecipuo latine scribendi supplevi, et illa, quibus Goduini B. Beach commentum adnotandum putavi, in commentariis vestris typis describi potuerunt. Etiam illud, quod de dialectis graecis fusius judicavi, integrum legentibus proposuistis. De hac re gratias vobis quam maximas!

Ea vero quae Josephus Florentinus Marques Leite de Brasilia ejusque urbe principe nova distinguendis proposuit (p. 223 sq.) minus mihi probantur. Prior enim fuit Brasilia, terra scilicet illa hoc nomine nota, posterius est illud caput eodem nomine nominatum. Ergo illud nomen terrae ipsius, quod jam pridem in usu est, necesse est teneatur, sed urbi principi novae novum nomen imponatur oportet. Hac in re puto usum et exemplum Curiae Romanae sequendum esse. Dicitur enim illa archidioecesis, cujus metropolis illa urbs est, quae vulgo Brasilia nominatur, '*Brasiliapolitana*'². Quid igitur impedit, quominus hoc caput, de quo agimus appellando, latine dicatur *Brasiliápolis* (ut Neápolis), cujus incolae vocentur *Brasiliápolitani*. (Ceterum nomen *Brasilis* latine sit generis feminini ut «Persis» et alia nomina hunc in modum ficta).

Sed quid de illo libro Josephi Florentini Marques Leite, quo nomina latina particulis encliticis aucta fusius tractantur recte acuenda? Illud opus ubi editum est? Quibus verbis inscribitur? Quanti constat? An potest haec

1. Cf. CYPR. epist. 78, 3 (CSEL 3, I, 837, 19; 838, 2).

2. AAS 52 (1960) 743: «Frater Armandus Lombardi... In Brasilia Apostolicus Nuntius»; cf. *ibid.* p. 743 sq.: saepe «Brasilia». AAS 52 (1960) 749: «Nova in Foederatis Brasiliae civitatibus archidioecesis conditur, cujus erit appellatio *Brasiliapolitana* *Ibid.* p. 750: «*aliam archidioecesim efficitur... Brasiliapolitanam appellandam*».

res proximis in commentariis PALAESTRAE LATINAE fusius explanari, cum extra Americam Meridionalem et Lusitaniam vix plurimi linguae lusitanae periti sint? (Cf. PAL. LAT. n. 171: 30 (1960) 171).

Et quid de lexico pharmacologico-gallico, quod Johannes (*Jean*) Volckringer jam anno 1958 edidit? Ubi prostat venalis? Quanti constat? (Cf. PAL. LAT. n. 168: 29 (1959) 230; 238 sq.).

Illum autem discum grammophonum, qui in fasciculo 170° (anni 1960) indicatur editus, cujus verba Dr. H. Wagenvoort, vir natione Batavus, pronuntiasse perhibetur, invenire non potui, quamvis catalogum recentissimum discorum sonigerorum 'Polyglottes' Dusseldorpianae perquisivissem. Quid ille discus, ubi editus est? Quanti constat? (Cf. PAL. LAT. n. 170: 30 (1960) 105 sq.).

Et quid de illo radiodramate, quod inscribitur Nisus et Euryalus? Potestne ejus exemplum in taeniam sonigeram receptum acquiri quave ratione? (Cf. PAL. LAT. n. 167: 29 (1959) 149-153).

Quid denique de specimine quodam *Cursus Polyglottici CCC*? Potestne mihi quoque discus unus mitti (pretio indicato), quo ratio ipsa percipiatur docendi? Etenim in proverbio est: verba docent, exempla trahunt (Cf. PAL. LAT. n. 172: 30 (1960) 226 sq.). Fortasse discum mittere poteritis pro exemplo, quo maximam partem latina verba exhibentur, cum populares nostri linguam hispanicam vix calleant.

Postremo mihi, mi Domine, concedas, ut te interrogem de commentariis romanis, qui inscribuntur CICERO. Quot fasciculi jam editi sunt? Duos accepi, quamquam pecuniam pro tribus solvi, deinde non jam aliquid audivi. Sed puto in PALAESTRA LATINA alicubi nuntium legisse, quo jam tres editi dicebantur. Hunc autem locum commentariorum vestrorum mihi carissimorum non jam repperi.

Multa, mi Domine, quin etiam plurima te hodie rogavi, sed plurimis officiis negotiisque necessario expediendis cum districtus tum distractus facere non potui, ut prius res singulas singulatim te rogarem. Velim autem ex his quaestionibus meis aliquatenus cognoscas, quanta vobiscum dilectione devinciar linguae latinae, quam in commentariis vestris excolitis in modum mirum.

Incolumem te servet Dominus totius salutis auctor! Dabam ex archiabatia Ottiliensi die 29° m. Januarii anno 1961.

Josephus M. Mir, C. M. F., Patri suo Reverendo Caelesti Eichenseer, O. S. B., sal. pl.

Binas abs te accepi litteras quibus et flagrans tuum in linguam latinam studium patefacis et nostrarum rerum memoriam praebes.

Quod autem tractationes «rerum novarum» tibi placent, vehementer gaudeo.

«Birotam automatariam» tuam, «autobirotam» vel «birotam motoriam» appellavi in illo *Cursu linguae latinae Polyglaphonico CCC* (XII, p. 329). Quam tu excogitasti vocem «motobirotam» et alii proposuerunt, ut Cognasso (*Il latino*, SEI, Torino, s. v.) et O. Tempini (*Manuale di conversazione latina*⁵, Torino, p. 170): «birota, motobirota vehi, andare in bicicletta, in motocicletta».

Si me tamen consulis, novam hanc vocem probare omnino non audeo, nam quamvis prima vocis pars (*moto-*) vere sit latina, ejus tamen exitus vel ad graecam normam vel ad nostrarum linguarum magis accedere videtur; neque tamen vocis sensus plane definitur: nam aut *birotam motus* facile interpretaberis, aut nomen mutilum ex *motori-birota* dices; quam vocum sectionem in compositis latinis haud facile inventies; ideo supra dixi hanc vocem propius ad nostras accedere linguas (ut *moto-cicleta*) aut ad graecam (*auto-birota*).

De urbe illa «Brasilia» — omnibus diligenter perpensis his praesertim quae alibi a Dre. Jos. Ijsewijn afferuntur— sic statuendum censeo: «Brasiliam» vocem pro nova Brasiliensis nationis principe urbe ac pro tota natione adhibere possumus. Cum hujusmodi aliae exstent voces — ut cl. v. Jos. Ijsewijn memorat— quibus et ipsa *natio* et *metropolis* exprimatur. Quod si discrimen instituere volumus, «Brasiliopolim» appellemus principem urbem, «Brasiliam» vero nationem. Ac licet tu commentarios illos AAS afferas in quibus «Brasiliopolim» scriptum legimus, aptior tamen forma «Brasiliopolis»³ esse perhibetur, argumenta enim a Josepho Ijsewijn allata omni comprobantur auctoritate.

Liber ille Josephi Florentini Marques Leite potius commentarii dicendi sunt quibus est index *Graeca et Latina*, ac de quibus saepius in illis «Per Orbem» nuntiis tractavit P. Sidera. Ampliora tibi ipse referet doctor Jos. Florentinus M. Leite, rua Dona Amelia, n.º 122, *Rio de Janeiro, Brasil*.

Lexico illo pharmacologico latino-gallico multa continentur verba — latine reddita — admodum utilia illis qui in medicinis componendis primis rerum elementis utuntur. Pauca si retractentur, est opus perfectum. Forsitan *Vitae Latinae* curator Dominus E. Aubanel de hoc lexico deque ejus scriptore quicquam tibi referre poterit. Nos in altero pro sermone latino vivo reddendo Congressu illud dono accepimus.

3. Vallauri lexicon volvens et Bacchi inventi: «Bonaëropolis, Columbopolis, Petropolis, Bonopolis, Scythopolis, Christianopolis, Megalopolis, Dominicopolis, Uranopolis, Amphipolis, Constantinopolis, Prunopolis Neapolis, Decapolis, Pentapolis»... — Ceterum vel ipse Em. P. Antonius Card. Bacchi in illa ad nos missa epistula (ctr. *PAL. LAT.*, 31 (1961) 32-33) primum «Brasiliopolis» manu sua exaraverat; quam tamen scribendi rationem cum haud rite cum verbis tuis et praesertim cum commentariis Vaticanis AAS convenire intellexissem, ingenue illum monui de illo discrimine in scribendo; illeque rescripsit locumque epistulae retractandum jussit et pro «Brasiliopolis» — quam alio loco defendit Ijsewijn et quam ipse primum scripserat — «Brasiliopolim» in lucem edendum dixit; haec sane memorare oportet cum Card. A. Bacchi mentem aperiant.

Discus quo egloga IV Vergilii exprimitur non est certo a domo Dusserl-dorpiana (*Polyglottes*) incisa. De hac re P. Sidera tibi propediem alia scribet. Radiodrama vero in quo notissima illa Nisi et Euryali narratio impressa est, quaeque in *Palaestra Latina* prodiit, fuit tantum magnetophoni taenia impressa pro nostro Collegio Barbastroensi et omnibus alumnis exhibita.

Specimen libellorum et discorum *Cursus Polyglottonici CCC* jam in manus habes et gaudemus quod tibi placent; quorum pretium, ut scis, est 1.425 pesetarum, id est, 23'75 dollarium, ex quibus forsitan nonnihil tibi deduci poterit.

Et nos pariter primum tantum accepimus libellum illorum commentariorum qui nomine clarissimi oratoris romani —id est CICERO— inscribitur nihilque amplius de CICERONE scimus; forsitan quem redivivum voluerunt, iterum mortuus sit.

Quibus spero me responsa dedisse omnibus quae a te quaesita sunt.

Plurimum in Domino valeas.

Scribebam a. d. X Kal. Majas, a MC LXI, Barbastro.

J. IJsewijn Antverpiensis Josepho M. Mir Patri humanissimo S. P. D.

Cum e duobus, qui novissime prodierunt, PALAESTRAE LATINAE libellis nominis novae Brasiliensis metropolis latinitate donandi causam agi didicissem nec ea, quae proponerentur, plena adensione comprobare potuissem, haec ut aequa qua soles lance perpenderes, optime vir, ad te scribere ausus sum.

Ante vero quam sententiam meam quae hac in re sit aperiam, monere velim similem quaestionem jamdiu in aliis Americae Latinae terris ortam esse, ut apud Mexicanos et Guatemalanos. Jam, ni fallor, Mexicopolis nomen inveteravit. Quamquam minus placuisse videtur Raphaëli Landivari, S. J. Guatemalano (1731-1793), qui terras Americanas medias immortalis carmine latino cecinit. Nam operi suo, quod *Rusticationis Mexicanae libri XV* inscribitur, elegia praemissa est «Urbi Guatimalae», quae ita incipit:

«Salve, cara Parens, dulcis GUATIMALA, salve...»

Sequitur autem Monitum ad lectores pedestre, cujus enuntiatum primum hoc est: «Rusticationis Mexicanae huic carmini praefixi titulum, tum quod fere omnia in eo congesta ad agros Mexicanos spectent, tum etiam quod de MEXICI nomine totam novam Hispaniam vulgo in Europa appellari sentiam... «Eodem hoc vero nomine Mexicanae regionis caput appellat, quam hisce versiculis in primo cantu, qui est de lacubus Mexicanis, laudavit (vv. 32-34):

«Urbs erat occiduis procul hinc notissima terris
 «MEXICUS, ampla frequensque viris opibusque superba,
 «Indigenis quondam multos dominata per annos...»

Dixerint fortasse lectores hexametrum versum «MEXICOPOLIN» non recipere. Quod infitias non ibo, simul vero eos ad titulum elegiae revoco, ubi non scriptum est «GUATIMALOPOLI»!

Nihilominus tamen perspicuitatis ratio habenda est, itaque nomina in *-polis* desinentia plane laudo, si modo ad purioris latini sermonis normas procudantur. Quo fit ut «Brasiliopolis» scribere malim, non «Brasiliapolis». Nam etsi apud Americanos nunc exstant *Annapolis*, *Indianapolis*, *Minneapolis* aliaque fortasse similia, haec latine, si usum romanum respicias, appellentur oportet: *Annapolis* (seu *Annaeopolis*), *Indianapolis*, *Minneapolis*. Conferas, quaeso, e. g. *Faustinopolin* in Asia minore, quae urbs nomen traxit a *Faustina*, *Marci Aurelii* imperatoris uxore. Neque hac in re quidquam valent nomina *Hierapolis* et *Neapolis*, quae revera ex substantivo constant et adjectivo apposito. Quod superest, haec in causa optime consulas librum, quem anno 1904 *Georgius Cousin Nanceii* edidit «de urbibus quarum nominibus vocabulum πόλις finem faciebat». Cujus in pagina 20 haec leguntur: «Macedonum et Romanorum ex temporibus formas, quibus —ό— -πόλις, praevaluisse».

Restat ut pauca de proposito *Josephi Marques Leite*, viri de latinitate in patria sua optime meriti, addam. «*Brasilis*» vox mihi adjectiva potius esse videtur, poetici insuper generis, cuius casus genetivus formandus est «*Brasilidis*», sicut «*Sicelis* / *Sicelidis*» a *Siciliae* seu *Siciliae* nomine derivatum. Cum vero «*Brasilianus*» et «*Brasiliensis*» voces communes sint, «*Brasilis*» poetis relinquamus. Haec sunt quae proponere habui avideque sententiam tuam, clarissime vir, exspecto. Vale!

Dedi Antverpia, a. d. VIII Kal. Maj. anno MCMLXI.

A D V E S P E R A M

ex HUGONE FOSCOLO

Fatalis quoniam, fortassis, imagine somni
ludis, cara mihi, vesperis, hora, redis,
seu roseis ridens nebulis zephyrisque serenis,
imbribus et tenebris seu redimita comas,
aethere descendis, votis optata, meique
arcanos aditus pectoris alma tenes...
Sic vagus ingredior mihi quae vestigia monstras,
aeternum nihilum te duce mente petens;
Sollicitasque meas curas quibus angitur aetas
devehit indigni temporis unda fugax...
Dumque tuam meditor speciem placidamque quietem,
usque ego bellator, denique pace fruor!...

F U N E R E M E R S I T A C E R B O

ex JOSUE CARDUCCI

Heu tibi, qui thusco ridenti in colle quiescis,
dum prope te somnum carpit et ipse pater,
nonne per herbosos tumulos tibi tramite, nuper,
singultus pueri leniter aura tulit?
Filioli lubeat vocem exaudire gementis:
est mea vox, animae dimidiumque meae!
Is quoque, num frater renovans te nomine sancto,
aufugit, heu, vitam quae tibi tristis erat?
Heu, minimel... risu per florea prata beatum,
lusubus in mediis, abstulit Umbra vorax!...
Tu fugientem animam Lethaea ad litora —eique
obvius... ecce tuas percutit ipsa fores—
excipiens, tenebris et solve rigoribus; isthic
nec sol, nec puero sedula mater adest!...

QUERCUS DEJECTA

ex JOANNE PASCOLI

Grandis, ubi quondam centum remeabat amica
 anros umbra, suo concidit ipsa solo
quercus, nec constans Austrumve Notumve fatigat.
 «Quam bene —quisque, videns, nunc ait— alta fuit!»
Hinc illinc nidi pendent ex parte coronae:
 «Quam bene —quisque ait— vere, benigna fuit!»
Illam prosequitur dum laude, secatque domumque
 fasce gravis scapulas, vespere, quisque redit;
Interea, nidum quaerens, singultibus implet
 aëra —sed frustra— silvia nigra caput!...

«EVANGELICAE BEATITUDINES»

Felices omnes quibus est hic spiritus imus:
 ipsis caelorum regna beata patent.

Felices flentes omnes cum flentibus: ipsis
 a Patre nam tandem dulce levamen erit.

Felices mites animae: quibus omnibus olim
 caelestis patriae terra nitebit ovans.

Felices sitiunt qui jura Deique hominumque:
 justitiae sertum queis erit ipse Pater.

Felices omnes quos lapsis parcere juvat:
 olim namque illis parcat et ipse Deus.

Felices illi nitido qui corde micabunt.
 ipsis nam facies conspicienda Patris.

Felices pacem qui curant: pace beati
 jure vocabuntur pignora cara Dei.

Felices illi quos ob justissima jura
 vexabunt: illos caelica regna vocant

Jam longa et macilenta caput nunc matris adhaeret
ad dulcem vultum ter lacrimantis equa.

«Cara ter inter equas sturninas, dulce ferebas 35
illum qui numquam jam rediturus erit.

Heu! duo verba tibi saltem fuit ille locutus,
quae nescis memorans ipsa referre modo.

Illum laxatis loris per crura ferebas,
ballistaeque oculis ignea plumba gerens. 40

Illum, populea maesta comitante caterva,
dum reddis tonitrus ictus in aure tonat.

Illum reddebas, facto jam vespere, nostris
posset ut auriculis ultima verba loqui».

Intentemque caput longum tenet illa ferumque; 45
colla jubata premit tunc mea mater ei:

«Cara ter inter equas, illum quae dulce studebas
ferre domum, numquam qui rediturus erit;

Tempore qui nullo mihi jam rediturus amanti!
Tu bona, comis ei, nec potes ipsa loqui! 50

Te miseram! nostris uti tu nescia verbis;
mente hominesque timent, ore sciente suo.

Dicere ut ore nequis, poteris sic nutibus; eja,
si tibi dicendum, dic mihi si quid habes!

Interfectorem monstrum vix una videbas: 55
illius formam lumina fixa tenent.

Quis fuit ille? quis est? Illum tibi nomine pandam:
annue quem doceat te Deus ipse modo».

Cessat equus quisquis duras nunc rodere fruges,
somni at, atque viae candida strata micant; 60

Nec sonipes paleas tundit pungentibus oestris,
somnia, assiduas crure trahente rotas.

Tunc genetrix digito dictisque silentia rumpit:
nomine praedicto, fortiter hinnit equal

PER ORBEM

Alter Conventus hispanicus studiis classicis provehendis Matrifi congregatus. — De Conventu hispanico studiis classicis provehendis sermonem instituturus nescio unde incipiam nec quomodo finiam cum tot tantaque de eo dici possint. Quam brevissime potero tamen dicam. Multa omittam, plura leviter tantum perstringam, alia quia memoria obsoleverunt, alia quod animum meum moverunt vel existimavi melius esse ut oblivioni darentur. Si Conventui adfuisti, sine dubio nihil novi tibi dicam; sin autem afuisti dubito num ex his quae dicam rem conjecturō saltem attingere possis universam. Ne plura, incipio.

Die 4 mense aprili hora septima vespertina Congressus noster initium habuit. Coetus frequentissimus: multi, deficientibus sedibus et loco, totam horam stare coacti sunt, quanquam conclave amplissimum erat. Coetui praefuit, vices gerens Supremi Hispaniarum gentium Moderatoris Francisci Franco, Josephus Rubio, Publicae Institutioni praefectus Administer, cui aderant venerabilis litterarum «pater» nonagenarius R. Menéndez Pidal, Petrus Romanelli clarissimus Doctor et F. I. E. C. Praeses, Emmanuel F. Galiano, Conventus Praeses, J. Lasso de la Vega, ab Actis. Multi quoque viri exterarum gentium rerum nostrarum peritissimi legati aderant, omnium etiam hispanicarum Universitatum aliarumque Institutionum publicarum legati missi.

Cl. v. F. Galiano quibus finibus conventus contineretur exposuit singulorumque legatorum nomina ostendit ac dilaudavit. Deinde Petrus Romanelli multa eaque pulcherrime prolata de studiorum rerumque nostrarum hodierno discrimine, de firmissima in posterum spe, de Societatis Hispanicae Studiis Classicis provehendis operositate et industria. At omnium oculos mentesque movit senex ille bene merentissimus, annis onustus et doctrina, ut Nestor ille mellifluus, quattuor generationum testis et magister, R. Menéndez Pidal, barbatus vir, qui nonaginta quattuor annos natus stans integram horam de Roma genteque hispanica est locutus, tanta verborum copia tantaque doctrinae ubertate ut quater juvenem, non semel senem, audire crederes... Breviter percurrit quanta in studiis classicis ipso auctore vel teste saltem fervidissimo, facta sint XL extremis his annis in Hispania: in studiis archaeologicis, in scriptoribus edendis (recole, quaeso, bibliothecas «Bernat Metge» et «Alma Mater» nuncupatas), quot opera philologica edita sint (quamquam non multa investigata de re linguistica neque de classicorum mente et litteris antiquis), quo modo linguae graecae cultus surrexerit apud nos et invaluerit, quantum in studiis Minoicis percursum sit. Multa sane facta sunt, at plura facienda

quae quidem fient cum tot viri feminaeque apprime instructi atque parati inveniantur. Deinde non pauca de re philologica dixit quibus apparent nexus Hispaniam cum Roma vincientes.

Martinus S. Rulpérez, in Universitate Salamanticensi egregius doctor, egit postridie de grammatica graeca, quo modo hodie sese habeat: optime animadvertit qua via nunc res grammaticae decurrant et unde derivent, quam singulae theoriae vim habeant et probabilitatem ut sunt chronometria phonetica, systematismus, laringales, phonologia, cet. Post eum de rebus similibus egerunt Dres. Rodríguez Adrados, Mariner Bigorra, Pariente, L. Delatte, P. Chantraine.

Dr. Laín Entralgo de doctrina hellenica deque doctrina hodierna: φύσις apud graecos et in cosmologia medii aevi. Cl. vir, medicus litteratus, omnium plausu acceptus est. Maxime dolui quod eum audire nequivi: eadem enim hora, in alio conclavi disputabatur de auctoribus interpretandis enucleandisque, et quo modo de re grammatica esset agendum. Ut patet nimia erant proposita nimisque mo-

menti quam ut brevissimo tempore matutino agi possent... Magistri admodum periti quae usu experti erant audientibus explicarunt. Dr. X. Echave-Sustaeta —quo suo est loquendi genere pulchro perpolitoque— de instrumentis medisque necessario adhibendis egit ut utiliter, jucunde, celeriter lingua latina alumni imbuantur. Deinde alii alia. Placuerunt quae fratres M. et S. Agud Querol dixerunt de lingua graeca, quasi ipsa ex sese utilis esset et optima mentis effectrix, non solum prout medium quo animi cultus augeatur. Hic cultus et eruditio optima sane sunt et optabilia: adeptu tamen difficillima cum tantulum temporis graeco sermone in Institutione Media tribuatur. Cum tamen id alumni quamplurimi adipisci non possint, tamen eodem linguae graecae studio mentem exercent acuntque.

De auctoribus interpretandis legendisque locutus est E. Hernández Vista, qui asseruit in auctoribus explicandis enucleandisque praeter —vel potius quam— virtutes quae ad pulchritudinem spectant, inspiciendas praecipuas nunc temporis esse quae «ethicae et sociales» dici possunt. Quod quidem aequalibus nostris perplacet. Ita exempli gratia in narranda de Monte Sacro vel de Jugurtha historia, potius quam ad narrandi modum —sine dubio magni faciendum— hodie melius est quaestionem ethicam et socialem excutere, quae quaestio magis movet. Clarus doctor exemplis doctrinam illustravit. Ideo Classici aeterni quod singulis temporibus aliquid ediscendum praebent. Quod etiam animadvertit Dr. Barquero Lomba cum diceret auctores veteres hodiernos esse nobisque praesentes prout tempus nostrum praesens et corrigunt et emendant, in posterum ad meliora urgent atque propellunt.

Haec acroasis omnino placuisset si omnes qui locuti sunt rem propositam attigissent plene neque in rem grammaticam divertis-

sent cum de auctoribus enucleandis agendum erat, quod nostra omnium credo, mea quidem sententia, maxime Intererat.

Vespere Alvarus D'Ors coram coetui universo de philologia classica et Jure Romano amplissime disseruit exemploque suo commendavit quo modo et quantum philologo viro jus novisse utile esset, quantumque juris perito linguas classicas callere. Rei utilitatem paulo post demonstravit cum de «auctore-auctoritate» cum Angelo Pariente disputavit. In hac quaestione

solvenda Alvarus D'Ors, vir litterarum classicarum peritissimus jurisque romani, argumenta validissima prompsit. Alii quoque post eum sua quique protulerunt. Longum omnium nomina referre, quorum praeterea non semper commentationes audire potui.

Die sexto Dr. Fr. Rodríguez Adrados Platonem saeculo XX interpretandum exposuit luculente. Plato vir fuit politicus, cujus politica ratio saepius in cassum venit... Res publicae ejus studium fuerunt et quasi «vocatio». De rebus ad civilem prudentiam pertinentibus multa in dialogis invenias. Ideo multos dialogos ex varietate eventorum civilium interpreteris meliusque existimes. Quare ut Plato melius intellegatur aptiusque ejus opera perpendantur dialogi cum Platonis vita componendi sunt; quod hodie studiosi potissimum facere student.

Cl. vir Michaël Dolç et Dolç de «poëtarum novorum» virtutibus propriis deque eorum vi et momentum in alios longe egit. Qui etiam de auctoribus interpretandis eadem fere hora disserere debuit; quod facere nequivit; idque dolendum sane cum Michaël Dolç interpres sit praeclarus: ipse enim plurima versuum milia ex latino in hispanicum et catalaunicum sermonem summa elegantia ingeniique acumine est interpretatus, in quibus eminet mirifica Aeneidos Vergilianae versibus hexametris interpretatio.

Curiositatem astantium hodie moverunt quae de rebus libere ab auctoribus electis dicta sunt: ut quae de sermonis latini apud viros scientificos communistas usu Dr. S. Cirac per legatum sermone eleganti latino protulit: quamquam argumenta ab eo adhibita non ita firma ac valida mihi sunt visa. P. Josephus Jiménez, C. M. F. de bacchalaureato civili in seminariis ecclesiasticis, salvis disciplinis humanioribus aptando. Accommodati bacchalaureati exempla adhibuit Seminarium Matritense et Ordinem Studiorum Generalem apud Claretianos vigentem. Et ego eo die breviter verba feci de commentariis lingua latina per orbem exaratis, sive a professoribus sive ab alumnis.

Josephus Lasso de La Vega, die 7, mane commentatione sua de vi momentoque classicorum scriptorum nostrae aetatis summa egit auctoritate. Singula litterarum genera attingit in eisque—in lyricis dico, et theatro et

in commenticiis fabulis (*novela*)—quid classicis debeat aequae librato animo perpendit. Ex omnibus patet momentum vimque veterum in plurimos obliquam esse, in paucissimis directam.

Post eum J. Alsina Clota, E. Valentí Fiol, J. Vergés Fábregas existimarunt quantum Carolus Riba, J. Maragall, Costa Llobera, scriptores catalaunici summi classicis debuerint.

Dr. Echave-Sustaeta de Horatio in Hispania, seu potius de ode «*Beatus ille*» a tribus interpretibus hispanicis aliter in hispanicum sermonem conversa. Spect. femina Blanca Lampreave de classicis apud Antonium Machado poëtam, Spes Rodríguez de classicis helenis apud R. Pérez de Ayala. Maxime placuit quod de litteris humanioribus in ea fabula quae inscribitur: «*La vida nueva de Pedrito de Andía*» Henricus R. Panyagua egregie dixit.

Vespertinus coetus archaeologicae quaestioni de Tartesso fere dicatus est. Quid de ea re nunc dici possit investigatumque sit Dr. A. Blanco Freijeiro in Universitate Hispalensi doctor longe lateque disseruit, ut diceret fere nihil certi firmiter de Tartesso adhuc sciri eamque quasi sphingem

tempus et studia doctorum devorare diutius in posterum perrecturam. Summi hispanici archaeologi investigata prompserunt, inter quos García Bellido, M. Almagro aliique.

At tandem Matrito vale dicendum fuit, ubi tanta humanitate ac liberalitate excepti eramus. Quis obliviscatur illas «receptiones» in amoenissimis locis paratas ubi Consilium Conventui moderando praepositum, et illustrissimi Civitatis praesules, et Diputatio Provincialis Matritensis, et Rector Magnificus illius Universitatis omnibus honoribus summaque observantia nos cumularunt? Quis praeterea illo auribus animoque convivio dulcissimo et jucundissimo, quod fuit selectissimus instrumentalis concertus a Collegio Nationali Musicae Camerinae (*Agrupación Nacional de Música de Cámara*), delectatus non est?

Conventus Barcinone finiendus erat: en nos habe 100 fere vectores duobus autoredis maximis velocioribusque vectos 10 horarum iter percurrentes, a sinistris praetereuntes arcum in urbe Medinaceli in summo monte collocatum, et Martialis bilbilitanam patriam brevissime oculis potius quam pedibus percurrentes, B. Virginis Columnam Caesaraugustae deosculantes, Ilerdam pervenientes ubi Caesar cum Afranianis Petrejanisque conflixerat. Hora 10 vespertina Tarraconem, in urbem imperialem, pervenimus cui mare nostrum caeruleis placidissimisque aquis blanditur. Prosperum sane iter et viis percursis et suavissima amicorum societate.

Die 9 Tarraconem romanam lustravimus. Primum quidem viri peritissimi Sánchez del Real et García Bellido, quibus deinde affuerunt cl. sacerdotes Serra Vilaró, venerabilis senex, et Rdu. D. Huguet de singulis summa eruditione nos edocuerunt. Multa didicimus praesertim de moenibus illis cyclopeis, quae neque cyclopes sunt neque iberica, sed tantum romana, ideoque recentiora, ut ex modo quo exstructa sunt et e vasis fictilibus inventis certo evincitur. Argumenta autem,

quibus haec investigatio fulcitur, brevi volumine edentur. Optimum Museum archaeologicum invisimus et quae remanent circi romani vomitoria et cathedralem omnibus artis thesauris copiosam. Brevissime necropolim paganam et christianam, duce cl. sacerdote Serra Vilaró, qui et invenerat et effodiendam curaverat olim, lustravimus, obiterque vidimus quod olim fuerat vetus amphitheatrum ad mare situm, et quae appellatur Scipionum turrim.

Vale, Tarraco, urbs imperialis! —Via qua imperatores consulesque romani decurrerant arcum dictum «de Bará» a Lucio Licinio Sura erectum salutavimus, nocteque appetente Barcinonem urbem magnam opulentamque ingressi sumus.

Hic finiendum erat, cum aliis mihi distento curis loca archaeologica maximi momenti et delectationis invisere non licuerit. Quae monumenta, etiam tarraconensibus praestantiora omnibus vidisse placuerunt. Sed neque Conventus exitui adesse licuit, qui splendidus sane fuit et frequentissimus, praeside Administro P. Gual Villalbí aliisque prestantissimis viris. Votis placitisque a Lasso de la Vega lectis, Fernández Galiano, Praeses, strenue de rebus nostris tota παράρρησις locutus est.

Conventus placita et vota his concludam verbis: Quod ad sermonem latinum alumnis tradendum:

1) Vocabulorum praecipuorum (*básicos*) in pueris cognitionem omnibus modis totisque viribus curare, ita ut lexicus usus quam maxime minuatur, in scholasticis praecipuis tentaminibus.

2) Quod ad grammaticam attinet: a) regulae grammaticae in compendium usuale et commodum contrahantur et modo doctrinali et ad fidem disciplinarum aptentur.

b) Libri fiant qui vere alumnis apti sint, eorumque institutioni et captui accommodati. Ideo illae leges publicae latae derogentur quae ne libri alumnorum cotidie in melius revocentur et temporibus et usui aptentur impe-

diunt. Item ut ab Administro Publicae Institutioni praefecto pessimi libri et mali et mediocres reiciantur, a quocumque auctore scripti sunt.

c) In explicandis enucleandisque auctorum scriptis suadendus «humanismus» ethicus et socialis, virtutibus aestheticis minime posthabitis.

d) Ab Administro Publicae Institutionis praefecto petatur ut magistri illis instrumentis donentur quae necessaria sunt vel utilissima ad recte et celeriter alumnos de rebus antiquis informandos.

Haec omnia per magistros fere stant. Alia quoque proponuntur vota quae a rerum publicarum Administris pendent:

1) Ut in cursu Universitati ingrediendae praevio poëtis latinis quoque locus tribuatur, non solum solutae orationis auctoribus;

2) ut examini ad gradum, quae dicuntur, et Universitati praeviis, adsit doctor litterarum classicarum peritus;

3) ut sermo latinus necessarius sit etiam alumnis qui bacchalaureatum amplexati sunt nocturnum;

4) ut alumni qui in cursu Universitati praevio litteras elegerunt, viam ad alias dis-

ciplinas expeditam habeant, ad eas praesertim quae olim humanissimae habitae sunt, ut est medicina;

5) cum multi magistri post finitos studiorum ad magisterium cursus Universitatem ingrediantur litterariam, ipsi quoque in studium linguae latinae incumbant in curriculo magistrali;

6) ut in Universitate litteraria nemini in posterum liceat, lingua graeca posthabita, arabicam eligere.

Praeterea haec duo vota facta sunt:

1) Ut in Hispania quam maxime lingua latina sermo vivus habeatur, qua uti possint et ad scribendum et loquendum magistri et alumni;

2) ut quinto quoque anno Conventus litteris classicis fovendis congregetur hispanicus.

Prius quam finem facio, est quod denuo claris viris qui Conventum praepararunt ac moderati sunt animum pergratum exhibeamus quorum praesertim humanitate ac liberalitate factum est ut nos conventu hoc utilissimo ac jucundissimo frui possemus.

Si nunc ex me quaeras quid in eis conventibus meliora fieri cuperem, haec respondeam: ut omnes scriptores et petitores res attingant quae in ratione et nuntio conventus sint proposita. Deinde ut singuli viri et feminae —rem difficilem— ne excedant 10 vel 12 minuta legendis commentationibus tributa. Ita nemo sopore afficeretur aut fastidio necessario suboriendo ex orationibus longioribus. Bonum, si breve, bis bonum. Malum, si breve,

minus malum et grave... Si fieri posset aut omnibus facultatem darem qua usi duobus simul in locis esse possent, aut saltem ita rerum pertractandarum indicem componerem ut omnibus liceret omnium auctorum commentationes audire. Ideo unam post aliam —ordine praefinito— legendas curarem...

Hactenus de hac re. Etiam alios nuntios scribere possum. At longius processi. Haec hodie sufficient. De aliis alias.

JACOBUS SIDERA PLANA, C. M. F.

RESURRECTIO

Effundet tiliae, zephyris agitantibus alas,
defuncto pago murmura ramus adhuc;
Rivulus atque meus, fervens quem torruit aestas,
obstrepet autumnno, dum rigat imber agros;
Viribus usque suis violaeque rosaeque recrescent:
ipse puellarum vere virescet amor;
Amisum nullo mihi tempore luce redibit
luminibus lumen deficiente meis...
At me, cum Dominus rediens ex nube micabit,
cernere Se rutila luce jubebit amans!
Quid tiliae fremitus? fluitans quid murmur aquarum?
quidque puellaris, tunc, fugitivus amor?
Quid violae tunc? Tunc quid et ipsa rosaria sarta?
Unus tunc vivam solis ad instar egol...

RAPHAEL PAONE

BIBLIOGRAPHIA

MOORHOUSE, A. C. — *Studies in the Greek Negatives*. Cardiff. University of Wales Press. 1959. Price 21 s.

Liber optimus primo intuitu videtur et his qui linguarum studiis adstringuntur desiderandus.

Subtiliter et quasi rei natura ductus auctor duplex negotium tractat: enucleat enim primo fundamenta et quaestiones quae pertinent ad verba negantia in lingua graeca — Indo-Europaeam igitur necessario quoque attingit — et quae sine dependentia aut in compositione inveniuntur. Ideo negativarum formae, syntaxis, significationes in hac prima parte impensius perpenduntur.

Secundo auctor in negationum collocatione sistit; earum enim ordo in oratione praecipue inservit ut id quod emphasis dicitur animadverti possit.

Praeter haec, habes in opere novissimam doctrinam de negatione in sermone graeco, quam quasi in compendio redigit. Idque praeterea animadvertas: eae paginae, ex tam praeclaris editae fontibus, luculente indicibus ornatae, dulcedine et nitore quodam splendere videntur.

E. TEJERINA CANAL, C. M. F.

DAG, NORBERG. — *Introduction a l'étude de la versification latine médiévale*. Almqvist & Wiksell. Stockholm (Acta Universitatis Stockholmiensis, Studia latina Stockholmiensia, V).

Si metrica classica multarum disputatio- num est causa, metrica quae ad medium aevum attinet multo magis. Sunt enim qui eam numeris classicis subjiciendam putent; alii autem ad linguarum nascentium modos pertinere censent.

Hac de causa, cum insuper res paene inexplorata maneat, nec plures opiniones conferri possint, cl. v. Norberg opus aggreditur scopulis confertum. Ideo, prudenti con-

silio, magis facta recensere quam «theoriam» statuere conatur. Nihilominus tractatum profert, — quem non sine modestia «introductionem» appellat —, qui utilissimus multis disciplinis esse poterit, utputa ad poëseos hodiernae formas et origines vel ipsius musicae ab Ecclesia acceptae causas investigandas; praeter ea quae data opera in volumine tractantur, ex quibus satis illustratur quomodo transitus evenerit ab illa quantitativa in hanc quam vocat rhythmicam versuum et stropharum mensuram

Editio est valde accurata; legenti vero si nonnullas desiderari in textu divisiones contigerit, forsitan suppetat copia verborum in in octo nihilominus indicibus ut facile quaerat quidquid desideret

E. TEJERINA CANAL, C. M. F.

C. CRISPO SALLUSTIO. — *De Conjurazione Catilinae*. Introduzione e commento a cura di L. dal Santo. Minerva Italica-Editrice, Bergamo 1958 Pag. 261.

Clarissimus vir Aloisius del Santo, litterarum latinarum optimus atque indefessus cultor, eruditione atque doctrina decoratus, nobis praebet opus revera insigne, arte multa, multoque labore ac sudore laboratum («nato da fervida ammirazione per chi fu proclamato da Marziale «primus Romana Crispus in historia»).

Ad librum hunc exarandum haud pauca auctor adhibuit commentaria, consulitque etiam Sallustianum Lexicon a cl. viro Natta collectum. Capitibus praecipuis V, XX, XXV, LI, LII, LIV, LVIII et LXL, historiae summa praemittitur quae ad capituli argumentum intelligendum maxime juvat.

Liber ita notis — infra paginas appositis — ornatur, ita commentariis abundat optimis ut versio nitida, fluida et simplex per se pateat. Quibus omnibus, auctor in animum induxit integrum «il verbo e l'andatura della frase

latina servare. Opus multis etiam - ab aliis scriptoribus exaratis - appendicibus ditatur, qui maxime Catilinae historiam intellegibilem reddunt.

Praemittitur prooemium (p. 10-37) ubi, presso dicendi modo, de Sallustio ut homine, scriptore («...divino autore»), artifice («...subtilissimus brevitatis artifex»), agitur.

Adduntur quoque nonnulla de grammatica, lexico, Sallustique lingua utilissima, maximeque habenda ut operis historia facilius ab alumnis capiatur.

JESUS ARAMENDIA, C. M. F.

Atti del Convegno Internazionale Ovidiano. Sulmona, maggio 1958. Istituto di Studi Romani editore, Roma, 1959. Vol. I 288 p.; Vol. II 420 p.

En velut pulcherrima corona quam philologi et humanarum litterarum cultores ovidiant non nullarum nationum legati ut Belgii, Canadae, Galliae, Germaniae, Angliae, Hiberniae, Italiae, Bataviae, Poloniae, Rumaniae, Civitatum Americae Foederatarum, Hungariae Ovidio vati dicaverunt internationali conventu Sulmonae habito ut bis millesimam commemorationem ejus natalis celebrarent.

Nobis liceat indices tantum aliquot excerpere ex quamplurimis et optimis lucubrationibus ab egregiis Philologiae classicae cultoribus exaratis ut utriusque voluminis Ovidio dicati notitiam aliquam habeant lectores: *La poesia delle Metamorfosi* (G. B. Pighi); *Intorno alle cause dell' esilio di Ovidio a Tomi* (D. Martin); *L'esilio di Ovidio* (G. Baligan); *Ovide, le Gettque* (N. Herescu); *La vision poétique d'Ovide et l'esthétique baroque* (R. Crahay); *Some reminiscences of Ovid in Latin literature* (E. Thomas); *L'evoluzione della «sphragis» dalle prime alle ultime opere di Ovidio* (E. Paratore); *Disputatio de Ovidii «Eptstulis ex Ponto» Sulmonae habita mense Maio anni MCMLVIII* (J. P. Enk); *Ovidio, il poeta di tutti* (K. Marót); *Io e il paese di Sulmona* (F. W. Lenz); *Sur l'influence d'Ovide en France au XVII siècle* (H. Bardon).

Hic disputationum index quasi stimulo et incitamento erit iis qui ovidiantis rebus student, ut libenter duo pulcherrima volumina manibus crebro versent.

M. MOLINA, C. M. F.

DEL COURT, MARIE. — *Images de Grèce. Notes de Lecture et de Voyage. Ad. Wesmael-Charlier. Namur, 1959.*

Hujus libri auctrix intendit quasi sub novis quibusdam luminibus omne poetarum graecorum, vel potius omne litterarum genus illustrare. Nec id quidem aggreditur rerum copia intemperanter mentem fatigando, sed aliqua semper delectatione lectorem alliciendo, quae tum ex placido stilo manat quo cogitata disponit, tum ex jucunda interpretatione qua multi loci in doctrinae argumenta allati, passim ornantur.

Recensentur epici, elegiaci, tragicci, comici poetae, eorumque enucleatur poeseos natura: cum origo et processus, tum aliquid demum peculiare quod nobis usui esse possit in auctoribus graecis evolvendis et pernoscendis; nam quibus gressibus amor patriae, amorum sensus et significationes, temporis perceptio in Homero, animum e fabulis poetis liberatio, atque id genus, quo modo nascantur et augeantur, edocemur.

Quod tamen, quamvis praecipuum, minus est quam suavis illa humanitas qua omnes paginae perfunduntur. Quae omnia prima parte, altera vero narrationes continentur itineris per regiones Graeciae, historiae plenae, ab ipsa spectata a. peracti. Quae omnia lector maxima perleget voluptate.

E. TEJERINA CANAL, C. M. F.

GOELZER, HENRI. — *Le Latin en poche, Dictionnaire latin français, français-latin. Editions Garnier Frères, Paris 1959, Pag. 780-734.*

Hoc lexico a Domo Editrice Garnier in lucem emisso, ea omnia linguae latinae verba continentur quae a suo origine usque ad Caroli Magni aetatem usu recepta sunt. Nova haec editio — a clarissimo viro Legrand emendata — lexico nominum propriorum (p. 715-764), longa nominum adjectivorum comparativorum et superlativorum serie (p. 764-775), pagella formarum difficultiorum verborum atque nominum et nonnullis tabulis graphicis locupletata est.

Ex quibus patet manuale hoc lexicon — ut fuit adhuc — in posterum maximo quoque

juvamine bacchalaureatus superiorumque scholarum alumnus futurum.

Nostra vero sententia in hoc vocabulario desiderantur longior praeteritorum et superiorum series et quantitatis syllabarum, saltem in difficilioribus verbis, notatio ut alumni jam ab adulescentia legere latinam linguam optime discant.

JESUS ARAMENDÍA, C. M. F.

EGGER, CAROLUS. — *Tirolensia Latina*. Societas Libraria Tirolia, Innsbruck, 1960. p. 144.

Clarissimo viro Carolo Egger, perillustri illo scriptori latinis litteris excolendis, molli elegantique dicendi modo — quo gratiora narrata fiunt et jucundiora —, placuit in unum collecta, ea omnia commentariola typis mandare quae de Tirolis patria regione sua, «locorum amoenitate formosissima», in scrinio recondita habebat.

Quo in libro, quadam venustatis luce perfusa describit fabulosa illa de montibus pallidis, et urbes et pagos et villulas et «incorruptas... locorum amoenitates», ubi «juga perpetua tacta micant glacie», et Aentpontem, caput regionis Tirolensis, «urbem sane natura et situ venustam, aedificiis nobilem atque liberalissimis studiis affluentem...», et certamen septimorum ludorum Olympiorum hibernorum Cortinae celebratorum ubi inter omnes qui ad certandum adfuerunt Antonius Sailer Tirolensis athleta praestitit, multaque tandem alta vivaci et jucundissimo «genere orationis proprio» narrata.

Ad Tirolensis regionis historiam et famam admodum interest caput illud «*Quid homines illustres de Tirolis senserint*» inscriptum ubi descriptiones sive versibus sive soluta oratione Claudiant, Venantii Fortunati, Georgii Contarini, Heine aliorumque poetarum germanorum afferuntur.

Verba nonnulla postremo ab auctore in notulis proponuntur nova ad res etiam novas recentesque interpretandas: v. g. «hamaxostichus» = *tren*, «automatum Pullmanianum» = *autopullman*, «hamaxobius» = *gitano*, «lychnus transitus» = *semáfaro*, «automatum populare» = *Volkswagen*, «ingens descensio fluxuosa» = *slalon gigante*, «pileus Vasconius» = *boina*, cet.

Multaque alia urbium nomina nova praesertim ab auctore Carolo Egger felici exitu et adhibentur et proponuntur.

Quem librum, si legeris, maximam voluptatem maximumque delectamentum ex eo percipies.

JESUS ARAMENDÍA, C. M. F.

HUONDER, A. S. J. — *A los pies del Maestro*. Tomo I: Primeros años y vida pública de Jesús. 495 p. Tomo II: Pasión, muerte, resurrección y ascensión de Jesús. 544 p. Editorial Herder, Barcelona, 1960.

Opus, quod lectoribus nostris offerimus, adjumento sine dubio erit clericis linguae hispanicae, quos maxime adjuvabit in ducendis ad Jesum animis christifidelium. Volumina quibus index «Ad pedes Magistri» (*A los pies del Maestro*) uberrimam et tutissimam doctrinam ardentissimumque erga Servatorem amorem continent; quo fit ut librum meditationis sacerdotalis uberibus piisque cogitationis refertum ducamus.

In exemplo, quod superare nemo potest, nempe Christo, sacerdos, quidquid appetit, profecto invenit: lucem animae, consilium, stimulum, vires. «Ad pedes enim Magistri» sacerdoti quaslibet quaestiones, quamvis implicatissimas, expedire licebit. Quam ob rem duo parva volumina P. Huonder, S. J. ab omni bibliotheca sacerdotali abesse non potest.

M. MOLINA, C. M. F.

CIPROTTI, PIO. — *Cognoscere Pompei*. Tipografia Poliglotta Vaticana, 1959. Pag. VIII-163.

En opus a cl. Pio Ciprotti vulgatum quod haud dubie qui antiquitatis studiis vacant maximo oblectamento legent. Quare peregrinatoribus illis qui, Pompejorum effosionibus invisitis atque lustratis, vitam, mores, institutiones, artem, cultum urbisque alia multa magni momenti cognoscere velint, hunc libenti animo offerimus librum quem putamus magnae futurum utilitati inexplētisque oculis ab eis lectum iri.

Et in primis, ut lector libri rem capiat totam, indicem praemittimus:

I, *Geografia, leggenda e storia*. II, *La popolazione*. III, *La città nel suo insieme*. IV, *Il foro e gli edifici pubblici profani*. V, *Le religioni e i templi*. VI, *La casa di abitazione*. VII, *La vita economica*. VIII, *Il culto dei morti*. IX, *La cultura*. X, *L'arte*. XI, *Le suppellettili*. XII, *Le iscrizioni*.

Liber —ut utilius faciliusque intellegatur— 106 tabulas pictas easque selectas, multasque novas studio vere dignas continet.

Pauca sunt tamen menda, ut videtur typographica, quae libri virtutes et laudes nullo modo minuunt.

In pag. 6 notula 6 legitur CCIL pro CIL; in pag. 9 notula 15 melius scripseris *Trimalchione* pro *Trimalcione*; in pag. 24 dicitur *Pansae domum esse sitam* in VI, 1, 6 pro VI, 6, 1; in pag. 160 legitur etiam *Firmi Obelli domum positam esse in regione III* pro IX.

Opus ergo, humanissime lector, ante oculos habes vere, ob eximiam doctrinam qua exaratus est, laudandum maximeque a nobis tibi commendandum.

JESUS ARAMENDÍA, C. M. F.

A. SEVERYNS. — *Homère l'artiste*. Office de publicité, J. Lebègue, Bruxelles 1948. Pag. 196.

Liber hic, in quo permulta sunt et eleganter et venuste et jucunde et scienter excogitata et descripta, summa est et compendium earum omnium rerum quae magna opera de Homero continent. Quae summa, nostra sententia, ab eo tantum fieri potest qui alte penitusque Homerum Homerique opus cognitum habeat.

En libri indiculus:

— *Position de départ* (p. 7-35) ubi a cl. auctore Severyns tota belli Trojani quasi scaena instauratur.

— *Arrière-plans légendaires* (p. 43-97): Hic auctor subtiliter, expedite, plene dicit a) de Homeri significationibus ad pristina et popularia poemata, («Homère est prisonnier d'une tradition qu'il ne peut méconnaître sans heurter ses auditeurs»); b) de horum poematum collatione seu comparatione inter se; c) de eo quod Homerus ex fabularum residuis («fonds légendaire») acceperit et novitate maxima, maximo artificio, felici ingenio induerit.

— Tertius libri index est *Le métier du Poète* (p. 97-150) qui haec capita complectitur: I.

Mythologie et merveilleux, II. *Jeux meurtriers*, III. *Menus gestes et petits tableaux*, IV. *Badinages*, V. *Emotion*, VI. *Au fond des âmes*. His in capitibus nihil aliud cl. auctor intendit quam humanum, psychologum, poetam, artificem, Homerum nobis praebere.

Liber lucubratione, perbene cum animo cogitata, absolvitur (p. 150-165), ubi multa eaque lepida de similitudinibus apud Homerum aguntur.

Tabulae postremo adduntur seu nominum et locorum Iliadis et Odysseae indices (p. 167-195) quae magnae utilitati et commodo erunt legentibus.

JESUS ARAMENDÍA, C. M. F.

BRACHFELD, OLIVER. — *Los sentimientos de inferioridad*. Luis Miracle, Editor. Barcelona, 1959.

Doctor Oliver Brachfeld, «The Interamerican Society of Psychology» olim praeses, maxime apud nostrates notus est, quam ut nostris hic laudibus praeconisique indigeat. Amplissimum hoc volumen 575 paginarum, primum hispanica lingua exaratum, deinceps in linguam anglicam, germanicam, gallicam, italicam, danicam conversum est. Multis in Universitatibus europaeis et americanis ut liber scholaris seu «textus» adhibetur, et a magistris et auditoribus plurimi aestimatur.

Mirum in modum capita de populorum psychologia ponderanda, quibus auctor utique praecipuo honore cumulatus est. Praeclarus in discipulis Alfredi Adler, Doctor Brachfeld, hoc potissimum in opere, rem ad meliorem partem in psychologicis studiis christiana ratione convertit. Ex quo nova quidem via illi aperitur hodiernae theoriae «autoaestimationis», quae hisce vocibus «Ego Psychology», «Self-Evaluation», «Eigenwertpsychologie», a scriptoribus nostrae aetatis appellatur.

En tibi, speciminis causa, capitum argumenta. I. *El Principio de seguridad y el sentimiento de impotencia* (pp. 45-80). II. *Historia de un término y de un concepto* (pp. 81-155). III. *Las teorías de Alfred Adler* (pp. 157-197). IV. *Las minusvalías orgánicas* (pp. 199-214). V. *La psicología de «inválidos» y listados* (pp. 215-224). VI. *¿Cómo diagnosticar los sentimientos de inferioridad?* (pp. 225-238). VII. *Sentimientos de*

desamparo (pp. 239-250). VIII. *El equilibrio autoestimativo bosquejo de una «teoría de la autoestimación»* (pp. 251-258). IX. *Los celos infantiles: el «complejo de Catn»* (pp. 259-270). X. *Los sentimientos de inferioridad en el niño y las tres fases de su teoría* (pp. 271-274). XI. *Sentimientos de inferioridad y vida sexual* (pp. 275-310). XII. *Las grandes perturbaciones del equilibrio autoestimativo: neurosis, psicosis y criminosis* (pp. 311-330). XIII. *Arte y sentimientos de inferioridad* (pp. 331-344). XIV. *Los sentimientos de inferioridad debidos a las circunstancias de la vida económica y social* (pp. 345-352). XV. *El «complejo del trabajo»* (pp. 353-372). XVI. *Las grandes formas compensatorias de la civilización* (pp. 273-388). XVII. *La «imagen del deseo» y el «ideal negativo, la autoestimación «inconsciente»* (pp. 389-404). XVIII. *El sentimiento de inferioridad según Fritz Kuenkel* (pp. 405-412). XIX. *Otras teorías de los sentimientos de inferioridad* (pp. 413-426). XX. *El «complejo de postergación»* (pp. 427-442). XXI. *¿«Complejo» o «sentimiento»?* (pp. 443-460). XXII. *Los sentimientos de inferioridad ractales* (pp. 461-474). XXIII. *El «complejo judío»* (pp. 475-500). XXIV. *Los sentimientos de inferioridad de los pueblos o la etnopsicología de los «complejos»* (pp. 501-530). XXV. *Sensaciones de inferioridad en el reino animal* (pp. 531-544).

Praeest volumini praefatio ad tertiam (sextam) editionem hispanicam, ad primam germanicam, ad primam gallicam (pp. 5-42). Eruditissima vero conclusio atque indices opus Doctoris O. Brachfeld complent (pp. 545-575), quod et maxime honestat nobilem illam «Bibliothecam Anthropologiae» quam clarissimus Doctor Raimundus Sarró moderatur quamque nobilis vir Ludovicus Miracle, librorum editor, evulgat.

A. MARQUÉS, C. M. F.

STEINBUECHEL, THEODOR. — *Los fundamentos filosóficos de la Moral Católica*. Vol. I, II. Biblioteca Hispánica de Filosofía. Editorial Gredos. 1959-1960.

Propositum clarissimi Professoris Theodori Steinbuechel, in hoc opere exarando, ex ipsa libri inscriptione titulove cerantur. Re autem vera, duo haec volumina magni sunt in provincia philosophica momenti studioso

habenda Lingua germanica qua primum liber scriptus est, quarto est in lucem emissus et in hispanicam linguam a praeclaro viro Emanuele Garrido, nunc conversus est.

Liber solidissimae quidem doctrinae — quae nitide exponitur — in maxima illa quaestione de morum disciplina. Et uno cum auctoris omnino sumus animo: Ethices et Anthropologiae quaestiones ea instituenda et evolvenda sunt ratione, quae nostrorum maxime temporum adjunctis respondeat.

Totum duo in volumina dividitur opus. Duae partes in primo volumine: I. *La problemática de la fundamentación; consideración del hombre y su moralidad a la luz de la filosofía y de la teología; delimitación y relación de ambas perspectivas* (pp. 21-244). II. *Los supuestos ontológicos y antropológicos de la moralidad* (pp. 245-476). Praefatio atque scita introductio volumini praest (pp. 10-20). Notae singula capita coronant (pp. 477-535).

Alterum vero volumen et duas in partes dividitur: I. *Apertura de la esencia de lo moral* (pp. 7-228). II. *Fundamentación filosófica de la moralidad humana* (pp. 229-285). Notae in singula voluminis capita (pp. 287-326).

Magno opere Bibliothecam Hispanicam de Philosophia, a praeclarissimo professore Angelo González Alvarez rectam, duo haec volumina honestant, atque a nostratibus, procul dubio, justa ac debita gratia cl. Editoribus referetur.

I. GONZÁLEZ, C. M. F.

BEAUDENOM. — *Meditaciones sobre el Evangelio*. Editorial Subirana, Barcelona, 1958, pag. 1347.

Inter tot tamque optimos libros, qui ad pietatem fovendam et vitam spiritualem promovendam nostris temporibus in lucem dantur, pauci sunt ex quibus — ob pietatem, doctrinam, jucunditatem in dicendo, aliasque virtutes et ornamenta — tantam animus percipiat voluptatem, ut ex libro c. t. «*Meditaciones sobre el Evangelio*» a clarissimo Beaudenom conscripto.

Liber hic, quem libenter lectoribus offero, in tres partes seu series dispertitur: quarum in prima «*Bethlehem et Nazareth*» (p. 43-378) Jesum Puerum legentibus praebere auctor

contendit; in secunda, cui index «*Doctrina et Apostolatus*» (p. 389-1059), ante oculos lectoris Christus ut Evangelii Praeco proponitur; tertia vero pars ad Glorificationem, quam, Christus per Passionem est assecutus (p. 1059-1235), spectat. Huic postremae libri partii, quae ob auctoris mortem imperfecta remansit, appendix (p. 1243-1532) ex notis et auctoris manuscriptis addita est, quo tertia haec Meditationum series, quamvis summam, absoluta exhibetur et perfecta.

Versio, quibusdam minimis exceptis, optima et ut ceterorum cl. v. Beaudenom librorum jucundissima nobis videtur.

Qui liber, et praesertim ejus secunda pars praesertim, putamus futurum esse ut fidelibus, qui vitae Christianae student, maxime prosit.

JESUS ARAMENDÍA, C. M. F.

ALLERS, DR. RUDOLF. — *Pedagogía sexual y relaciones humanas* (Fundamentos y líneas principales analítico-existenciales). Luis Miracle, Editor, Barcelona, 1958.

Novum opus adjungitur hispanicae illi «*Bibliothecae Anthropologiae*» quam clarissimus Dr. Raimundus Sarró moderatur. Studio vero et diligentia Doctoris Oliveri Brachfeld, hujus operis interpretis, Doctoris Allers doctrina posthac penitus nota atque laudata apud nostrates erit.

Liber utilissimus paedagogis, animorum moderatoribus, psychiatris, medicis: paucis, ut omnibus animi cultusque studiosis qui nostris temporibus hominis naturam callere et animi arcana assequi intendunt.

In quinque amplissimas partes totum opus dividitur: I, *Introducción* (pp. 51-76). II, *El papel de la sexualidad dentro del marco de la personalidad integral* (pp. 77-96). III, *Acerca del problema de la Psicología de la vida sexual* (pp. 97-228). IV, *Educación* (pp. 229-346). V, *La preparación al matrimonio* (pp. 347-372).

Quae quidem partes suis deinde capitibus evolvuntur quibus tota res facilius captu reditur. Ornatur opus eruditissima Doctoris Oliveri Brachfeld introductione, hac autem inscriptione: *Rudolf Allers, la «Tercera escuela vienesa» y la Pedagogía sexual* (pp. 9-47). In

operis cursu plures exstant maxime momenti notae hujus Doctoris, olim Praesidis in Societate «*The Interamerican Society of Psychology*».

Liber hic «*Pedagogía sexual y relaciones humanas*» est procul dubio altae doctrinae hujus utilis rei elaborata summa. Catholica sane ratione, labilis haec res a clarissimo auctore tractatur, qui inter principes scriptores «*anti-Freudianos*» in historia Psychologiae Profundae est habendus.

A. MARQUÉS, C. M. F.

REY ALTUNA, LUIS. — *La inmortalidad del alma a la luz de los Filósofos*. Biblioteca Hispánica de Filosofía. Editorial Gredos. 1959.

Hujus operis prooemium, tamquam commodum elogium sapientiae mortis (pp. 9-15), conclusio autem est quasi consonans immortalitatis symphonia (pp. 441-455). In cursu autem libri, clarissimus scriptor et Historici et Psychologici partes rite suscipit, vel potius historicam nobis Psychologiam contextit.

Nitidum ex ipsa libri inscriptione propositum. Facillimo in praefatione calamo rei dispositio explicatur. Quae ea quidem adhibetur: I. Philosophia graeca (pp. 17-111); cujus haec divisio: Academia, Lyceum, Stoa, Museum. II. Philosophia Christiana (pp. 113-247); hac vero divisione: Ecclesia, Schola, Universitas, Opus Oxionense. III. Philosophia hodierna (pp. 248-440); hoc ordine: «*Renaissance, Novum Organum, Illuminismus, Romanticismus*».

Denique in singula capita notae frequentissimae, atque eae magni prorsus momenti (pp. 457-500). Opus Philosophi Philosophis in primis; omnibus tamen sapientibus, ni multum fallor, utile admodum maximoque opere commendandum.

I. GONZÁLEZ, C. M. F.

LALOU, JEAN-NELIS, JEAN. — *Dimensiones del Humanismo contemporáneo*, Vol. I, II. Ediciones Dínor, S. L., San Sebastián, 1959.

Hoc volumen inscribitur: HOMBRES MÁQUINAS, *Iniciación al Humanismo técnico*. Quod quidem, ex altera gallica editione in sermonem hispanicum, a clarissimo viro Francisco

Pegenaute Rubio conversum est. Tres in partes aptius liber dividitur: I. Technices factum (pp. 13-70). II. Technices eventus (pp. 71-193). III. Technicae normae (pp. 195-300). Brevi conclusione generali res tota a praeclaro scriptore rependitur (pp. 301-303). Consequitur appendix, cui titulus *Cinco siglos de inventos*. Nomenclatura est fere omnium inventorum, ab anno 1440 ad annum 1945 (pp. 305-326). Exstat annus, inventum, auctor. Maximi quidem momenti argumentum. Tandem bibliographia: opera generalia, specialia, collectiones et commentarii (pp. 326-336). Totius rei expositio nitidissima (pp. 337-342).

Volumini autem secundo inscriptio: *COMUNIDAD DE LOS HOMBRES, Iniciación al Humanismo social*. Ab eodem interprete, ex quarta editione gallica, in linguam hispanicam est translatum. Tres etiam partes sunt libri: I. «Communitarii hominis» origo (pp. 15-88). II. «Communitarii hominis» tentamina atque errores (pp. 89-254). III. Hodie et cras (pp. 255-343). Materiarum index (pp. 345-354). Opera maxime commendanda illis praesertim qui rem socialem penitus callere intendunt.

I. GONZALEZ, C. M. F.

RONCONI, ALESSANDRO. *Interpretazioni grammaticali*. Biblioteca di Cultura Liviana Editrice in Padova, 1958. S.M.I.T. (Società Meridionale Industrie Tipolitografiche), Cassino.

Librum dicat clarissimus auctor alumnis qui nunc in italici studiorum Universitatibus versantur. Quasi florum fasciculus in litteris est; non nullorum factorum grammaticarum acri sane ingenio elaboratae interpretationes ubique inventuntur. Titulus quidem libri modestiae index: res vero tota grandior. Non una enim grammatica, sed et lexicon et stilus, una cum linguisticae historia leptide agitantur.

Tres in partes opus dividitur: Interpretationes lexicæ et semanticae (pp. 1-96). Interpretationes syntaxis (pp. 97-194). Interpretationes grammaticae antiquae (pp. 195-248). Haec primae partis materies: *Arcaismi o volgarismi? Osservazioni sulla lingua del «Somnium Scipionis»*. «*Ninna nanna*» «*modo e maniera*» e *altre allitterazioni*. *Parole di Dante: per una se-*

mantica dei virgilianismi. *Parole di Dante: «molesto»*.

In altera vero parte: *Esegesi e sintassi*. *Presente storico e varianti in Cesare*. *Il presente storico italiano e il suo aspetto*. *Imperfectum praesentis*. *Note sull'imperfetto italiano: 1) L'imperfetto narrativo; 2) L'imperfetto di modestia*. «*Aoristi*» e «*perfetti*» in Dante. Denique in tertia parte: *Varrone e l'etimologia*. *Un equivoco di Aulo Gellio*. *Il «cursus» medievale e il testo di Cicerone*.

PHILOPONUS, C. M. F.

FERNÁNDEZ RETAMAR, ROBERTO. -- *Idea de la Estilística*. Universidad Central de las Villas. La Habana, Cuba, 1958.

Hic lepidus quinquaginta et centum pagellarum libellus est velut synthesis summae «*Cursus liberti*», in Facultate Philosophiae et Litterarum Universitatis Habanae habitus. Has ibi partes commode invenies: *Stilisticae conceptus* (pp. 11-28). *Stilistica linguae vel stilistica stili* (pp. 29-74). *Stilistica sermonis vel stili* (pp. 75-121). *Aliae investigationes stilisticae* (pp. 122-131). *Finis* (pp. 132-139). Denique bibliographia generalis, breviationes, index (pp. 141-150).

Opus doctrina pulcrum et ad rem enucleandam discipulisque tradendam magno opere idoneum. Ut plurimum, clarissimus scriptor, in re tractanda auctoribus Hatzfeld et Guiraud operam sedulam navat, quamquam e proprio penu haud quidem raro animadvertiones monitionesque valde utiles addit. Liber, sine dubio, lectoribus arridebit, quos vel intimam in sermonis scientiam atque artem, ut in votis est, recto tramite ac secundo omne ducet.

A. MARQUÉS, C. M. F.

MIGLIORINI, BRUNO. -- *Storia della Lingua Italiana*. Sansoni, Firenze, Seconda edizione, 1960.

Maximi quidem momenti volumen hoc ad totam linguae italicae historiam summam percipiendam usque ad haec nostra tempora. Labor plus viginti annorum assidui studii hic absconditur. Immo vero etiam altos multos industriae annos in hoc singula-

ri opere posuisse clarissimus scriptor B. Migliorini facile curiosus lector sentiet.

Tota typographiae ars technica in primis ante oculos observatur. Amplis quadraginta et octogentis paginis volumen constat, quod roto laudibus dignissimum aestimamus, quodque in nulla viri docti bibliotheca in posterum desiderandum qui ad imum linguae Italicae sensum penetrare velit.

Rei vero in libro explicatio atque interpretatio praefatione «galeata» subtilius evincitur (pp. VII XI). Bibliographia selecta nostrique temporis (pp. XIII XVI). Ea vero capitum dispositio: I, *La latinità in età imperiale* (pp. 1-43). II, *Tra il latino e l'italiano (476-960)* (pp. 45-83). III, *I primordi (960-1225)* (85-117). IV, *Il duecento (1225-1300)* (pp. 119-177). V, *Dante* (pp. 179-194). VI, *Il trecento* (pp. 195-242). VII, *Il quattrocento* (pp. 243-306). VIII, *Il cinquecento* (pp. 307-428). IX, *Il seicento* (pp. 429-496). X, *Il settecento* (pp. 497-583). XI, *Il primo ottocento (1796-1861)* (pp. 585-667). XII, *Mezzo secolo di unità nazionale (1861-1915)* (pp. 669-743).

In brevi epilogo inducitur lector ad recentiora ejusdem scriptoris opera de lingua italica novissima (*Lingua contemporanea: Saggi Novecento, la Lingua italiana d'oggi*); quo tempore, occasione belli europaei annis 1915-18 data, historiae linguae italicae a conspicuo scriptore finitur.

Indice nominum (pp. 751-835) opus absolvitur, quod etiam, distincto et locupletiore capitum indice, in usum facilius redditur. Ad tabellas XXXVI identidem interseruntur de inscriptionibus, textibus atque ejusmodi. Quam maxime volumen hoc lectoribus PALAESTRAE LATINAE, amplioris eruditionis causa, commendamus.

A. MARQUÉS, C. M. F.

SANCIPRIANO, MARIO — *Il pensiero psicologico e morale di G. L. Vives*. Sansoni, Firenze, 1960.

Joannes Ludovicus Vives omni in disciplinarum genere, Philosophia, Ethica, Sociologia Philologia fuit praestantissimus. Hoc vero in libro lectoris animo ut Psychologus et morum praeceptor a clarissimo viro M. Sanct-

priano exhibetur. Quae quidem in re haud ita notus apud sapientes adhuc erat longe princeps hispanorum cultorum.

Librorum qui de Joanne Ludovico agunt recensio, eaque ampla et eruditissima renascente humanitate, libro praestit (pp. VII-XX). Hisce autem partibus notiones psychologicae et morales J. L. Vives exponuntur: Philosophia moralis et anthropologica (pp. 3-10). Philosophia naturae et psychologica tempore litterarum renovatarum (pp. 11-16). J. L. Vives: vita (pp. 16-21). J. L. Vives: opera (pp. 21-37). Stilus ciceronianus (pp. 38-59). Aristotelis et Galeni interpretatio (pp. 60-69). Anima et vita (pp. 70-81). Dialectica, Logica, Rhetorica (pp. 82-88). «Philosophia prima» (pp. 89-100). Philosophiae Historiae (pp. 101-108). Philosophia moralis (pp. 109-120). Praesertim J. L. Vives hoc tempore apud nos (pp. 121-139).

Brevissima appendice tota lucubratio finitur, quae perspicuitate commendatur eruditioneque honestatur.

PHILOPONUS, C. M. F.

GLEASON, ROBERT W., S. J. — *Cristo y el Cristianismo*. Traducido del inglés por Francisco Migoya, S. J. Editorial «Sal Terrae», Santander, España, 1960.

Liber prorsus scitus commodusque hic in nostrae aetatis asceticis litteris, qui quidem, una cum illo «El Mundo Futuro», praeclarum ingenium scriptoris R. W. Gleason, S. J., Fordhamiana in Universitate, N. Y., sacrae Theologiae Professoris demonstrat.

Hoc opus «Cristo y el Cristiano» eodem quippe animi acumine et intuitus gravitate est exaratum, atque illud «El Mundo Futuro».

Hominum nostrae aetatis eorumque desideriorum bene cognitor, R. W. Gleason facili conscribit calamo de quaestionibus quae ad vitam hodierni christiani pertinent. Quorum scilicet solutio Christus, christianae quidem vitae quasi centrum.

Haec intima rei et veritatis investigatio, quam eruditus auctor, stilo lepido tum ratione omnino nova, evolutam voluit. Quod reapse, ni multum fallor, attigit. Septem capitibus res libri tota agitur: I, Christus centrum (pp. 19-42). II, Caritas Christi (pp. 43-74). III,

Dolor Christi (pp. 75-104). IV, Humilitas Christi (pp. 105-126). V, Spes et timor (pp. 127-159). VI, Incrementum in Christo (pp. 159-182). VII, Christiani labor (pp. 183-216). Antea lucubratio de pristinis et hodiernis in re ascetica normis, quae prudentem theologum commonstrat.

A. MARQUÉS, C. M. F.

ERBSE, HARTMUT. — *Beitraege zur Ueberlieferung der Iliasscholien*. Verlag C.H. Bech, Muenchen. 1960. Gedruckt mit Unterstuetzung der Deutschen Forschungsgemeinschaft.

ZETEMATA (quaestiones) nomen est illorum fasciculorum, qui, moderantibus clarissimis viris E. Burck et J. Diller, classicarum rerum litterarumque enucleandarum causa in lucem eduntur in Germania. Quibus maxime edendis mutuam operam conferunt Doctores K. Buechner, H. Dahmann, A. Heuss, de pristinis disciplinis ad unum bene meriti.

Quartum et vicesimum hoc volumen, a Professore H. Erbse operosius exaratum; in quo ex ipsa inscriptione de non nullis agitur collationibus, quae litterariam Scholiorum opus Iliadis traditionem illustrent. Duo in capita apte partitur, quae quidem ex varia re tractata iterum dividuntur. Primum caput est generatim de quaestionibus traditionis postchristianae (pp. 113-407).

Magni momenti et eruditionis epilogus exstat (pp. 433-438) de consecratis ad novam editionem Iliadis Scholiorum. Indices usum voluminis hujus modi aptiorem reddunt. In primis magistris litterarum humaniorum haec commendata lucubratio.

A. MARQUÉS, C. M. F.

MUNDING, HEINZ. — *Hesiods Erga in ihrem Verhaeltnis zur Ilias*. Vittorio Klostermann, Frankfurt am Main, 1959.

Ex ipsa libri inscriptione commode clarissimae scriptoris H. Munding propositum ante oculos lectoris apparet: id est, exploratio poematis ERGA Hesiodi quod cum Homeri Iliade confertur. Ex quo et alius titulus: «Litteraria comparatio ejusdemque conclusiones ad poeseos ortum detegendum». Hoc opus magni

quidem animi quod ad intimam pristinarum rerum et litterarum provinciam pertinet.

Ex collatione autem poematum ERGA et Iliadis, quae sunt quasi summa rei litterariae antiquitatis, via atque ratione ab erudito auctore «epica» interpretatio operis Hesiodi et non nulla enucleantur adhuc de Iliade homerica apud sapientes vel ignota vel in dubium posita.

Duas quidem in partes lucubratio dividitur: in prima de poesi in libro ERGA (pp. 11-102); in altera vero de Iliade agitur (pp. 103-175). His quippe partibus proceditur ab auctore: hinc, *Die ideale. Rechtsprechung, Die Ermahnung zur Arbeit, Der Arete-Passus, Anhang zum ersten Teil*; hinc, *Folgerungen und Vorfragen, Der Gesang B als Hesiod-Reaktion, Weitere Faelle von Hesiod-Reaktion: I, T, Σ2, Ω, Schlussboemerkung*.

Valde erudite praefationis (pp. 1-10) et solidae conclusionis ope (pp. 176-179), tota auctoris de re mens explicatur, quae certe hesiodeum opus nova illustratur claritate. Lucubratio haec maximo opere a sapientibus, si quid mei est iudicii, pendetur.

I. GONZÁLEZ, C. M. F.

VERGIL. — *Landleben. Bucolica - Georgica - Catalepton*. Lateinische und deutsch, herausgegeben von Johannes Götte. Bei Ernst Heimeran. München, 324 pg., 4 Auflage 1960.

Pertinet volumen hoc ad nobile illud corpus «Tusculum. Bücheret Zweisprachige antike Taschenausgaben»; cui maximam quidem contulit curam praeclarus Professor Johannes Götte.

Textus hinc latinus Bucolicum, Georgicum, Catalepti, eorundem inde scilicet translatio germanica (pp. 5-191). Perquam eruditus tum epilogus (pp. 192-221), de Vergili vita ejusdemque poetica fictione. Atque appendix vitae vergilianae una cum pristina Vergili exegeti (pp. 222-229).

Denique animadversiones non nullae et nomina rerumque index (pp. 230-324). Opus de re perfectum absolutumque ducimus, ac magno opere lectoribus PALAESTRAE LATINAE commendamus.

A. MARQUÉS, C. M. F.

MOULINIER, LOUIS. — *Quelques hypothèses relatives à la géographie d'Homère dans l'Odyssée*. Centre d'études et de recherches helléniques de la Faculté des Lettres et Sciences humaines d'Aix. Publication de la faculté des Lettres. Aix-en-Provence. Editions Ophrys, 1958.

Animo constanti et forti cl. Auctor Ulixem sequitur per maria et loca quaerens quaenam loca tetigerit quasque terras hominesque lustraverit errationibus illis Homericis. Quatuor nixus fulcris id pertentavit: 1.° Itinerum diuturnitate et ductu. 2.° Locorum descriptionibus. 3.° Archaeologicis inventis quibus locus a scriptoribus designatus probabilis fiat. 4.° Fabulis localibus rite testatis. His fultus fundamentis asserit Auctor Ithacam, quae olim Cephalonia dicta est, hodiernam Thiaki esse. Ex investigationibus efficit videtur multa loca in Odysea memorata certo cognosci posse eo quod Homerus clarius descripserit. Unde etiam patet quantum a vero deflexerit V. Bérard qui dixerat Homerum aliosque Homericos poëtas penitus ignorasse maria Italica et sicula. Nos oportet ignaros confiteri. Uno verbo: Homerus sat bene geographiam cognovit, ipse studuit multa facta certis locis conlocare, quamquam non semel immo saepe, poëtico indulsit ingenio.

Duabus chartis geographicis Auctor Ulixem errores illustrare contendit simulque investigata uno obtutu exhibere.

JACOBUS SIDERA, C. M. F.

MADDALENA, ANTONIO. — *Sofocle*. Edizioni di «Filosofia». Torino, via Po, 18, 1959.

Hujus libri indoles nihilo melius fortasse elucebit quam indice corporis seu collectionis cujus pars est: *Filosofia nella Letteratura* (philosophia in litteris). Hoc indiculo totus intelligitur non parvae molis liber qui non philologiam aut dicendi genus in Sophocle quaerit, sed mentis cogitata rerumque nucleum. Ipse scriptor philosophus quod in scribendo propositum habuerit pandit: Sophocles, ita ille, vitam egit Sophistarum aetate, a quibus ingenium hominum maxime elatum est. Ideo ipsius ingenii humani tot tantasque subortas controversias et quaestiones cognovit. Sed

apud Sophoclem unum est argumentum praecipuum: de deo et homine, de utriusque mutuo commercio et consuetudine: vel si mavis duplex dici potest argumentum: de hominis nempe dolore deorumque justitia. Eadem atque Aeschili fuit Sophocli fides: «non malum dolor, justis et benevolis dei».

Hanc philosophiae lucem circumfundit auctor per singulas Sophocli tragoedias. Ergo tot capita habet liber quot Sophocles tragoedias. Singulae aequo judicio existimantur et sincero. In hoc libro philologia philosophiam juvat, philosophia philologiam multa docet. Et nos utriusque disciplinae fructus, auctoris opera, percipere possumus.

FRASSINETTI, PAOLO. — *Storia della letteratura latina per le Scuole Medie Superiori*. II edizione riveduta e corretta. Minerva Italica. Bergamo, via Maglio del Rame, 6. 1959.

Hic liber in schola originem habuit et scholae dicatur ab auctore, qui in prooemio librum totum alumnis et tribuit et donat... cum ab his interrogantibus notantibusque — insciis etiam — opus perpolitum sit et absolutum.

Ne plura dicam breviter hujus libri virtutes recensebo: 1) In IX partes totam materiam disperitur (a praehistoria ad Tarentum captum; 2, a Tarento ad Corinthum captam; 3, ab anno 146 ad Sullam mortuum; 4, ad Caesarem occisum; 5, aetas augustea; 6, a Tiberio ad Trajanum; 7, ab Adriano ad Theodosium; 8, ultimi scriptores pagani; 9, litterae christianae). 2) Singulae partes per genera litteraria — quae dicuntur prout sunt «*orientamenti strutturali della poetica*» — dividuntur: oratio vincta (elegi, epos, bucolica, comedia...) et soluta (oratoria, historia, grammatica... cet.). 3) Scriptorum opera — praecipua saltem — breviter contrahuntur, quibus alumnus eorumdem aliquo modo cognoscere possit argumentum et vim. 4) Cum res id postulat rerum, temporum hominumque prospectum praebet quibus melius calleantur et mores et cultus et litterarum historia. 5) Praeterea post unumquamque partem summam totius aetatis adjicitur, qua uno intuitu omnia recolantur facilius et perpendantur. 6) Tandem res

proponuntur modo alumnis aptissimo: oratione plana, eleganti, brevi. His de causis hanc litterarum latinarum historiam magni facio.

NAPOLI, MARIO. — *Napoli greco-romana*. Fausto Fiorentino editore. Napoli, 1959.

Marius Napoli hunc librum neapolitanae urbi a graecis romanisque conditae, structae, in saecula mutatae integrum dicat ut investiget et promat quaecumque de ea re inventa adhuc sunt et effosa. Primum de originibus praecipuisque eventibus agit, de moenibus deinde cum turribus et propugnaculis, prout agnoscere possunt per singula fere saecula a. Ch. n., de consilio seu modo orthogonalis adhuc vigenti quo urbs est aedificata, quo modo urbs in annos creverit et immutata sit, de portu, de templis quoque deque deorum cultibus. Caput unum cultui Sirenum et Parthenopis sepulcro tribuit, unum fratris; monumenta publica denique describuntur. Tabulis sive delineatis sive photopictis multa illustrantur.

Qui Neapolis veteres res et monumenta cognoscere voluerit, hunc adeat librum optima praeterea charta et typis excusum.

W. SHAKESPEARE — *El Mercader de Venècia*. - *La Tempestat*. - *L'Amansiment de l'Harpia*. Traducció i prefaci per Josep M. de SAGARRA. Editorial Alpha, Barcelona, 1959.

J. M. de Sagarra fabularum Shakespearearum specimina quaedam catalaunica lingua reddita praebuit: tragoedias romanas (*Coriolanum*, *J. Caesarem*, *Antonium et Cleopatram*) dramata illa *Romeo and Julieta*, *Otello*, *Macbeth*. Nunc has comoedias tres optimo iudicio summaque elegantia expressas. Nescio quantum anglice lecta haec opera placeant. Catalaunica interpretatio mihi quidem adeo placet ut hac lingua primum scripta videantur.

Litteratissimus enim interpres poeta egregius ipse est et dramaturgus praestantissimus, qui et rhythmum ut pauci sentit et verborum vim et numerositatem. Officinae librariae de hoc munere suavissimo jucundissimoque convivio ex animo maximam habemus gratiam.

JACOBUS SIDERA, C. M. F.

MAMONE, GIOVANNI. — *Litterarum Latinarum Historiae*. Carlo Signorelli Editore. Milano, Via Lattuada, 7, 1951.

«Historia opus unum hoc oratorium maximum», scripsit Cicero *De Leg.* 1, 5. Hujus modi est hic liber in quo litterarum latinarum historiam narrat cl. v. J. Mamone ad obrussam exactam. De singulis enim et aetatibus et scriptoribus prout cujusque est momentum disserit.

Laudi maxime auctori vertimus quod et historiam scripsit et latine quae sane res his temporibus nova fere est et insolens et inaudita... Latinitate utitur plana quidem captivaque facili, at pura pura, eleganti, numerosa.

Auctori effuse plaudimus quod opus re vera scripsit egregium.

MONTOLIU, MANUEL DE. — *Ausiàs March*. Editorial Alpha, Barcelona, 1959.

Quinto ab *Ausiàs March*, poeta clarissimo, mortuo centesimo anniversario vertente, Emmanuel de MONTOLIU, existimatorum nostratum facile princeps et patriarcha, vividum, plenum, hodierno perfusum lumine opus de tanto poeta lyrico scripsit, qui olim tanti momenti fuerat in litteras hispanicas et catalaunicas. In eo libro, in quo collectum vides quod ab aliis dictum est in unum coactum, plurimis aliis ab E. Montoliu additis, primum poetae vitam, dein opus perpendit. Denique de philosophia et vita in carminibus *Ausiàs March* poetae verba facit. Ibi agit de doctrina amoris, de morte, de moribus de perennitate Marchiani operis, quomodo fuerit plane suus et a poetis qui «trovadores» dicuntur differat.

Hanc poetae novitatem propriam vindicat Auctor contra cl. v. A. PAGES validis argumentis Lullii momentum in opus Ausiasmarchianum praesertim — quod nemo ante fecerat — nobilitat. Deinde agit de momento *Ausiàs March* in posteros. Breve glossarium difficultiorum verborum adjicitur. Ni me omnia fallunt in versu «*Tu creïst me perquè ànima salve*» (p. 121) verbum *creïst* interpretandum est *creares* non *cregues* ut in eo glossario (p. 149) scribitur. Credo id opus — lingua catalaunica scriptum — optimum esse omnium monumentorum anno quinquies cente-

simo erectum in honorem poëtae qui cum et homo fuerit, in se inclusit omnes gentis suae virtutes.

CICERON. — *Traité des Lois*. Texte établi et traduit par Georges de PLINVAL, Paris. Société d'éditions «Les Belles Lettres». 95, boulevard Raspail (VI), 1959.

En habet optimam Ciceronis de legibus librorum editionem a G. de Plinval apte paratam addita gallica translatione maxime pervia et acuta. Translator etiam amplissimam praeposuit introductionem (I LXXII) in qua enucleat quem locum inter omnia Ciceronis opera libri de Legibus teneant, de Cicerone juris perito, de juris peritis rei publicae aetate, de discrimine romanarum legum, de principis juris illa aetate quaerendis statuendisque, quantam Cicero hac in re contulerit operam, qui legem naturalem ut nemo romanorum antea investigavit et fundamentum totius juris constituit. Deinde de fontibus philosophicis horum librorum. Quo modo et quare hi libri — qui disputationem continent de philosophia juris, legum addita concinna expositione romanarum — mente concepti sint et qua ratione et consilio scripti. Etiam de forma litteraria verba facit. Denique breviter quaestionem de textus traditione persolvit.

Haud facile est textum non semel corruptum recentibus linguis reddere. Tamen, summo conatu adhibito, translationem concinnam, mentem Ciceronis rite exprimentem facere assecutus est G. de Plinval. Qui praeterea plurimis notulis quae complemento indigerent vel explicatione illustravit.

GOOSSENS, GODEFROY. — *L'art de l'Asie intérieure dans l'Antiquité. Les époques*. Collection Lebègue. Office de Publicité. Rue neuve, 36. Bruxelles, 1948,

Hoc opusculo (90 enim pagellis continetur) habes summarium artium historiae in hac orbis terrarum parte quae vere gentis nostrae cultusque cunabula fuerunt, unde ad nos omnes fere artes promanarunt. Libellum auctor in quattuor dispertit partes: artes quo modo ortae sint (I), aethetica quo modo percepta sit et degustari coepta (II), et discreta

(III) et enucleata (IV), (seu gallice: *la formation des techniques, la formation, les différentiations, les transformations de l'esthétique*).

Historia tria annorum milia complectitur et regiones quas veteres Asiam appellarunt. Multa hic invenias paucissimis quidem pagellis comprehensa, summa perspicuitate enucleata, maxima auctoritate dicta.

JACOBUS SIDERA, C. M. F.

MARINONE, NINO. — *M. Tullio Cicerone. De finibus bonorum et malorum*. Antologia. Firenze, La Nuova Italia, 1958, p. 330.

In promptu, humanissime lector, librum novum habes in Aedibus «La Nuova Italia», nuper vulgatum.

Praemittitur praefatio (p. V-XXVI) in qua legentibus dilucide proponitur indoles seu natura philosophicorum coetuum, de quibus in libro disputatur, rerumque etiam adjuncta et condiciones in quibus Cicero vitam egit.

Brevis sequitur index philosophicus; alia quoque in eo opera sive antiqua sive recentiora desiderantur, ut Usener et Bailey scripta quae ad rem valde conferunt. Operis Ciceroniani anthologica, uberrimis instructa notulis et commentariis alumnorumque captui maxime accommodatis, absoluta nobis et perfecta videntur.

Interdum vero placuisset ut pro sola conversione, quam cl. Nino Marinone quandoquo affert, loci difficiliore pluribus notis et syntacticis commentariis — ad textum melius et interpretandum et illustrandum —, locupletati essent. Ad rem quoque profecisset ut cum Xerxis expeditionem adversus Graecos commemoratur (II 112), mentionem aliquam de Herodoto habuisset ceterisque ad rem captendam necessariis, ut in aliis locis (II 66 et II 52) ab auctore factum est.

Opus utilissimo nominum propriorum et verborum philosophicorum indice clauditur.

Grates ergo cl. Nino Marinone rependam maximas qui hunc Ciceronis librum et implicatum et spinosum, multisque gravibus obstructum difficultatibus, facillimum et jucundissimum suis commentariis alumnis reddidit.

JESUS ARAMENDÍA, C. M. F.

GENOVESI VICTORII, S. J. — *Carmina*. Desclée et Socii Editores, 1957, pg. 719.

«Institutum Studiis Romanis provehendis —ita scripserat Quintus Tosatti, ejusdem Institutii praeses— carmina Victorii Genovesi edit ad delectationem omnium qui linguam latinam diligunt et sensum sinceram veraeque poësis habent».

Ad delectationem dicam et ad omnium stimulum et incitamentum. Quis profiteatur emortuam linguam effetaque qua tot tamque pulchra dici possunt et his consona temporibus et rebus?

Hoc amplo volumine carmina continentur quae in certamine Hoeufftiano aliisque certaminibus maximo donata sunt praemio vel laude. Praeterea alia bene multa quibus clarissimus poëta «tempora quae vixit, fidenter carmine dixit».

Nemo est qui ignoret non pauca tanti viri poemata usu in precibus Ecclesiae publicis usu venisse, cum P. Genovesi hymnographus sit Sacrae Rituum Congregationis. Quam summam arbitror laudem. Si vis Horatium et Vergilium tecum redivos habere eosque lingua latina loquentes, sed de nostris rebus in primisque divinis, hunc tibi librum adhibe socium multumque in sinu tuo, haec pulcherrima legens carmina, gaudebis.

FERRERO, LEONARDO. — *Cultura e Poesia in Roma*. Testi et lecture. I, Età repubblicana, La Nuova Italia, Firenze, 1960.

Hic liber prologo caret, seu potius alium librum —cujus complementum est— prologum habet et introductionem: *La letteratura latina. Profilo e testimonianze*, quem cum non habeam, judicare non possum: at conjectura consequi possum eum librum esse historiam litterarum latinarum cui adjicitur haec vera «anthologia» in qua reperiuntur omnium scriptorum fere specimina qui rei publicae temporibus aetatem egerunt. Haec specimina non temporis ordine proponuntur sed rerum: cultus popularis et optimatum litterarius, cultus statusque civitatis, populares jugum optimatum repugnantes, cet.; tandem potestas cultusque (Caesar-Cicero, Cicero-Hortensius, Varro, Sallustius, Nepos), et nova Schola:

Catullus, Lucretius... Exempla adhibita ampliora sunt, praesertim quod ad Plautum et Terentium. Saepe interpretatio Italica, poëtarum praesertim, adjungitur, notulis semper scitu necessaria illustrantur. Librum utillorem melioremque reddunt quaestiones alumnis solvendae propositae, quibus sensus existimantis acuitur, et longior ac locupletior librorum index quibus uti liceat ad res in libro adumbratas enucleandas complendasque. Id etiam novi liber habet quod LXXI dicat paginas illis auctoribus continendis qui aliquo modo quacumque aetate (ad saeculum XIII) sensum et opinionem de veteribus scriptoribus aperuerunt. Speramus fore ut quam primum aliud edatur volumen.

MANSUELLI, GUIDO A. — *La politica di Cneo Pompeo Magno*. Lezioni tenute all'Università di Bologna nell'anno accademico 1958-1959. A cura della Dott. Emilia Pettorelli. Casa Editrice Prof. Riccardo Patron. Bologna. 1959.

Si vis uno contutu totam pompejanam rei publicae administrandae rationem cognoscere hunc librum (fere libellum 125 pag.) adi, integre his rebus investigandis dicatum. Ibi quaestiones seu «problemata» saeculi illius a. Ch. n. I, nostro simillimi, quae civitatem et cultum, et oeconomiam et arma affectant agitantur et quo modo Pompejus, merito Magnus appellatus, illis solvendis toto studio vacaverit victusque discesserit. Haec investigavit G. Mansuelli et docuit curriculo 1958-1959 in Universitate Bonontensi; edenda curavit Aemilia Pettorelli. Liber mihi maxime placuit.

JACOBUS SIDERA, C. M. F.

Corrige in hoc fasciculo:

- pg. 79 verbo, *quo*
 pg. 80 *obest plerumque iis*, qui discere volunt...
 pg. 81 ratione *docentur*
 pg. 85 veri *videndi*
 pg. 85 luce *dulcius*



SCHOLARES LINGUAE LATINAE COMMENTARII

Scripta mittantur ad Moderatorem: Conde, 2, BARBASTRO (Huesca)

Prelium ad ADMINISTRATOREM: Lauria, 5, Ap. 1042 - BARCELONA - 10

Constat in Hispania et America Hispanica: 20 pesetis; in Gallia: 2'50 francis; in Italia: 300 libellis; in Germania 2 marcis; in reliquis civitatibus: 0'50 dolaris.

ANN. VII — (FASC. II) — N. 26

M. JUNIO

A. MCMLXI

Bella perdix, bellissima perdix!

PERSONAE: *Hieronimus, Petrus, Hieronymi nepos, Pharmacopola, Chorus.*

RES QUAE NECESSARIAE VIDENTUR: *Haud parvus culter coquinarius, veru, catinus, duae perdices modo verae, modo simulatae, ea materia tamen ut facile edi possint.*

(PETRUS, *culinaria veste indutus, solus in scaena apparet. Mensam mappa detergit et instrumenta coquinaria expedit. Tum Hieronymus, ejus patruus, venatorio more in scaenam duas perdices manu tenens ingreditur*).

HIERONYMUS. — Age, mi Petre! statim igne accende eumque vehementer suscita, veru quaere... nam tempus est jam apparandi cenam, delicatam dico nostram cenam, duas perdices! En illas, pingues sane, lautum cibum!... Nunc commodum in agro vicino illas cepi.

PETRUS. — Ut nitent! Earum odore et gustu jam delector! Enimvero lautissime epulabimur!...

HIER. — Sed prius quam epulemur, eas plumis nudare oportet; nam aves cum plumis certo non edes...

PETR. — Ita sane, patre; est cibi appetentia... —praesertim cum ante oculos

hujusmodi ferculum jam nitescit—, tamen adhuc me mentis compotem sentio neque illam a te dilaudatam coquendi artem meam oblitus sum!

HIER. — Eximias animi tui facultates cognitas et compertas habeo; cumque egregium te habeamus cocum pinguesque duas perdices, tantum diem celebrare cum amicis oportet. Pharmacopolam amicum adeo eumque ad cenam invitabo.

PETR. — Misere dictum! Sollemnem hunc diem perdidimus!... En gracillimas duas perdices... et alium praeterea fastidiosum advocas convivam?

(*Hieronimus egreditur. Interea Petrus plumis perdices nudat, in veru infigit assandas, dum chorus totam cantilenam canit: Bella perdix, bellissima perdix! usque ad finem «jam nudavi te».*)

Ubi perdices assatae sunt, Petrus veru removet, perdices in catino ponit; veru attingit digito digitumque gulose lambit. Perdices igne tostae et exquisitissime olentes salivam movent. Petrus modo accedit, modo decedit, quasi tentetur... Interea chorus sirenum voce dulciter murmurat:

Eheu, exquisitae, exquisitissimae perdices!

Eheu, lautae, lautissimae perdices!

Petrus tentationi succumbit; unam e perdibus manibus sumit, alam secat et edit; deinde alteram alam, clunes, totam perdicem. Itidem alteram perdicem comedit, dum chorus Petrum edentem cantu comitatur:

Bella perdix, bellissima perdix

usque ad finem: «Jam voravi te».

Chorus, qui lene principio canit, paulatim increscit usque ad ultimum Petri morsum. Tandem subito fit silentium. Tunc ingreditur Hieronymus).

Unus
Bella perdix! Bellissima perdix! Bella

Finis
perdix! Plumis nudo te!

Unus *Omnes* *Unus*
Plumis nude-bo caput! Plumis nu-da-bo ca-put! Et caput!

Omnes *Unus* *Omnes*
Et ca-put O perdix! O perdix! O!

UNUS. — Bella perdix, bellissima perdix

Bella perdix, plumis nudo te!

OMNES. — Bella perdix, bellissima perdix

Bella perdix, plumis nudo te!

UNUS. — Plumis nudabo caput.

OMNES. — Plumis nudabo caput.

UNUS. — Et caput!

OMNES. — Et caput!

UNUS. — O perdix!

OMNES. — O perdix! O!

UNUS. — Plumis nudabo collum!

OMNES. — Plumis nudabo collum!

UNUS. — Et collum!

OMNES. — Et collum!

UNUS. — Et caput!

OMNES. — Et caput!

UNUS. — O perdix!

OMNES. — O perdix! O!

UNUS. — Plumis nudabo pectus.
 OMNES. — Plumis nudabo pectus.
 UNUS. — Et pectus!
 OMNES. — Et pectus!
 UNUS. — Et collum!
 OMNES. — Et collum!
 UNUS. — Et caput!
 OMNES. — Et caput!
 UNUS. — O perdix! O!

UNUS. — Plumis nudabo clunes.
 OMNES. — Plumis nudabo clunes.
 UNUS. — Et clunes!
 OMNES. — Et clunes!
 UNUS. — Et pectus!
 OMNES. — Et pectus!
 UNUS. — Et collum!
 OMNES. — Et collum!
 UNUS. — Et caput!
 OMNES. — Et caput!
 UNUS. — O perdix!
 OMNES. — O perdix! O!

UNUS. — Bella perdix, bellissima perdix
 bella perdix, jam nudavi te!

OMNES. — Bella perdix, bellissima perdix,
 bella perdix, jam nudavi te!

.

(Iterum) UNUS. — Bella perdix, bellissima perdix,
 bella perdix, jam voravi te!

OMNES. — Bella perdix, bellissima perdix,
 bella perdix, jam voravi te!

UNUS. — Unus tantum comedit!
 OMNES. — Unus tantum comedit!
 UNUS. — Et caput!
 OMNES. — Et caput!
 UNUS. — O perdix!
 OMNES. — O perdix! O!

UNUS. — Unus tantum comedit
 OMNES. — Unus tantum comedit
 UNUS. — Et collum!
 OMNES. — Et collum!
 UNUS. — Et caput!
 OMNES. — Et caput!
 UNUS. — O perdix!
 OMNES. — O perdix! O!

(Et hac ratione cantus progreditur deinceps)

HIER. — Ecce amicus! Statim pharmacopola hic aderit. — HUUUUL HUUL Olet profecto, olet! Remne expeditam habes?

PETR. — Heu, me miserum! me miserum sanel! Nec verbum. Angor animo... Feles... — male illi sit — feles nunc commodum eas surripuit!

HIER. — (*ira excandescens*) Te miserum! quid fecisti? Te passum perdices surripit! Insanisne? Stipes es et truncus! Tu es in culpa. De te hujus furti, hujus sceleris poenas exigam.

(*Secum loquitur*) Heu, heu! Perdices, ubi estis perdices, deliciae meae! Quis mihi eas reddet?



(*Iterum ad Petrum*) Infelix es! Oculos tibi evellam... te quoque plumis pilisque nudabo.

(*Secum*) Ubi sunt, ubi sunt perdices meae!

PETR. — (*Tremens*) Bone Deus!, ne talia feceris, mi patruē. Nam... haec per jocum solum dixi. Nonne vides me paululum jocari voluisse? Perdices enim... ibi sunt, obtectae, ne calorem amittant...

HIER. — Optima uteris fortuna! Nam aliter... malum patrarem facinus!... Sed eheu! hora est mensam sternendi!

PETR. — Statim, rem aggrediamur... At, patruē, cultrum illum coquinarium, exacue, quaeso, ut facilius aves discindamus.

HIER. — Sapienter id quidem; ilico pergo.

(*Hieronimus manicas aliquantulum levat; cultrum agit hortumque petit... Tum pharmacopola ex contrario ingreditur domum*).

PETR. — Te oro, o bone, mi pharmacopola, exi cito, exi, saluti tuae consu-

le, fugam capesse, iterum rogo; nam patruus in insaniam incidit, cerebro certe laborat...; hic est, praesens adest..., te necatum venit...

PHAR. — Nonne tu mente captus es? Itane, ejus mens alienata est? Qui fieri potest?... nam modo illum sum allocutus meque ad lautam cenam, ad duas edendas perdices, amice invitavit...

PETR. — Cave credas, cave credas! Insidias tibi ponit. Inspice intro, nusquam hic neque perdices neque perdiculas vides. Patruus juravit, cum domum intraveris, se auriculas tibi praecisurum. Inspice illum in horto; vide ut cultrum coquinarium exacuat!... Cito, cito fuge, quaeso; nullum restat temporis spatium, nulla mora est, mihi crede; aegre ferrem si te comprehenderet...

PHAR. — Recedo domo tua, exeo... Nolo ut ex duabus istis miseris perdicibus et ego auriculis nuder... (*abire festinat*).



PETR. — Patruē, mi optime patruē!
cito, celeriter accurre!

HIER. — Sed quid rei accidit?

PETR. — Id plane quidem: hospes ille,
bonus ille hospes tuus duas abstulit
perdices; statim illum insequere,
alias... valeant perdices, —perdices
meae!... —; neque ego neque tu illos
ore nostro gustabimus!...

HIER. — Itane dicis?... Idque scelus pa-
travit?... Malum! Male sit illi nebuloni!
curro, accurro, illum insequor et ap-
prehendam duasque ei auriculas evel-

lam... (*Ad Pharmacopolam*) Heus,
tu, heus! E duobus uno saltem! ·

(*Cultrum manu tenens Hiero-
nymus Pharmacopolam insequi-
tur qui velocissime currit*).

PHAR. — (*Currens et obtegens aures*)
Neque duas neque unam!

Alumni Vi Cursus Linguae Latinae
vertente anno 1960.

Barbastrī.

Rem totam digessit et retractavit Modera-
tor PALAESTRAE LATINAE.

Musicae optissime verba accomodavit P.
M. Molina, C. M. F.

Romani Imperii eversor

Cum Hunnorum rex Attila, in Romani
imperii fines irrupisset homines, urbes, om-
nia in exitium vertebat. Sic ut vastitas ac
Dei flagellum vocaretur.

Cum audisset Romae maximam proe-
dam esse, suis copiis eam diripiendam
petiit. Quod cum cives audissent ut ab ex-
cidio Romam, omnium parentem, servare
vellent, Senatus populiue legati totius ur-
bis divitias Attilae miserunt.

At ille: «Libenter divitias accipio, sed
non satis est, ibo et ab imis fundamentis
urbem eruam».

Tum cives Pontificem Maximum adie-
runt eumque deprecati sunt ut ab exitio ur-
bem eriperet. Leo Pontifex Maximus, po-
puli preces exaudiens, Attilae occurrit et
Sacratum Crucis signum extollens: «Recede,
inquit, Deus est nobiscum».

Quo audito, summa admiratione per-
cussus a proposito destitit ac retro statim
tendit.

C. LATORRE, C. M. F.

Celso-nae.

*Miles ad optionem (sargento)
profectus dicit intritam (sopa, sou-
pe) terra misceri.*

—*Sed tu ad quid venisti, ut
patriam defendas aut in intrita
ingemas?*

—*Ego veni ut patriam defen-
dam, non vero ut illam edam.*

*Petrus, puer quinque an-
norum, pessimus matri vide-
batur:*

—*Hodie, quia scyphum vini
plenum clam deglutisti, bellaria
non tibi erunt.*

—*Egomet? —puer respondit—
Minime! Sed crustulum humi de-
cidit factumque est ut vinum pror-
sus ebiberet.*

—*Quid vero de crustulo fe-
cisti?*

—*Ut illud punirem, totum co-
medi.*

M. FURIUS CAMILLUS LUDI



Mos erat Faliscis eodem libero-
rum magistro et comite uti, simulque
multi pueri eidem magistro commit-
tebantur, qui quidem in Graecia
mos etiam erat. Magister, qui scientia
praecellere videbatur, principum
liberos erudiebat, sicut fere fit (*co-
mo suele succeder*).

Is, in pace, lusus exercendique
causa, pueros ante urbem produce-
bat; cumque hunc morem per belli
tempus nondum intermisisset, modo
brevioribus, modo longioribus spa-
tiis pueros ab urbis porta trahere
solebat. Tunc vero Falerii a M. F.
Camillo obsidebantur.

Quondam, lusu sermonibusque
longius solito progressus est inter
stationes hostium et castra romana,
qua data occasione discipulos in
praetorium ad Camillum perduxit.
Ibi se ait Falerios in manus Roma-
norum tradidisse; cum eos pueros,
quorum parentes capita civitatis es-
sent, in potestatem dedisset.

Quae ubi Camillus audivit:
«Non, inquit, ad similem tui nec po-
pulum nec imperatorem scelestus
ipse cum scelesto munere venisti.
Sunt belli sicut pacis jura justequae
ea non minus quam fortiter didici-
mus gerere. Cives tu, quantum in te
fuit, novo scelere vicisti; eos autem
ego romanis artibus, virtute, opere,
armis, sicut Vejos, vincam».

MAGISTRUM PRODITOREM PUNIT

Denudatum deinde eum, manibus post tergum illigatis, pueris tradidit reducendum Falerios, eisque virgas, quibus proditorem ogerent in urbem verberantes, dedit. Ad quod spectaculum concursu populi facto, tanta mutatio animis est injecta, ut universa civitas, antea odio iraque efferata, pacem posceret a Romanis.



Legati ad Camillum in castra, atque inde Romam ad senatum, profiscuntur. Qui ita locuti sunt: «Patres conscripti, victoria cui nec deus nec homo quisquam invidet, victi a vobis et imperatore vestro, dedimus nos vobis. Vos fidem in bello quam praesentem victoriam maluistis; nos, fide provocati, victoriam ultro detulimus. Sub ditione vestra sumus».



Camillo et ab hostibus et a civibus gratiae actae sunt. Faliscis in stipendium militum ejus anni, ut populus romanus tributo vacaret, pecunia est imperata. Pace data, exercitus Romam reductus est.



Camillus, meliore multo laude quam cum triumphantem per urbem vexerant equi albi insignis, justitia fideque hostibus victis Romam rediit. Senatus votum sine mora explevit crateramque auream donum Apollini longa una nave per legatos Delphos tulit.



Alumnus quidam fatuus pericula scholastica adiit cum asino. Animal ligavit et in periculorum conclave ingressus est.

Cum autem a iudicibus «apertum» audivit, suae negligentiae conscius, dixit:

— Aliquidne ut meum probetis asinum obstat?

— Ignosce, puer, nam unum tantum quotannis probamus.

J. A. M. GÓMEZ

AD SALTUM EQUI

LON	PER	CAX	BRE
PER	VE	EM	TER
PRAE	GUM	TA;	FI
ET	EX	I	PLA
EST	CEP	EF	

Dux communistarum Mao-Tse-Tung hoc misit telegramma N. Khrushhev:

MAO: Summa laboramus egestate ac rerum inopia; ciborum copiam nobis cura mittendam.

KHRUSHEV: Cinctoria (cinto) arctius cingite!

MAO: Cinctoria nobis mitte!

J. RIEDEL, C. M. P.

Rosari, in Argentina.

CLEMENTIA CAESARIS. —

Caesar mitissimus et clementissimus in hostes erat et in eos qui illum offenderant. Saepe hostibus victis omnia arma tradebat nec pretium efflagitabat nec ut in exercitu suo depugnarent cogebat; deprehendebat ab eis duces pompejanos quibus ipse libertatem donabat.

Pueri ingenium et pietas

Pater nuptias filii fecit eique totam rem familiarem dedit; pater cum filio ejusque uxore vitam agebat.

Anno interjecto ex matrimonio, puer natus est qui robustus firmusque crescebat.

Multos post annos, avus octoginta annos natus, laborare nequibat; nurus vero virum assiduis obtundebat precibus ut onus illud domo ejiceret.

Vir tandem pertaesus adiit avum, eique dixit:

— I, pater, jam te duodecim annos aluimus. I quo velis, non enim domi nostrae amplius manere potes.

— Noli me, fili mi, domo expellere; nemo me aegrum fessumque aetate domum suam excipiet; neque enim multo tempore vivam; oro te mihi des saltem saccum straminis ut dormiam in stabulo.

— Minime, pater, uxor mea non vult.

— Vale, fili mi, quoniam tu hoc vis, proficiscar; sed da mihi saltem stragulum ut tegam corpus meum.

Vir vocat filium:

— Vade in cubiculum et da avo tuo lodicem.

Puer accepit maximam lodicem eamque dividebat...

— Quid facis, fili; cedo totam lodicem avo.

— Minime, pater; aliam partem servabo quam tibi dem cum natu grandis sim, et te domo ejiciam.

Quae cum pater audiisset avum, qui jam proficiscebatur, vocavit eumque iterum domo excepit et dominum praediorum suorum constituit.

Hereditas fabulosa

Harris Scoweler, arcae nummariae loricateae conditor noctu in officina solus manebat novissimum temptans pessulum. Ut opes videre posset, in arcam sese Harris intulit. Summo autem correptus est stupore cum clausam post se, nulla alia potitus clavi, januam animadvertit.

Cito, summo perterritus casu, obstupuit. Nulla ei erat spes ut socii auxilio venirent, cum nemo in officina litteras pernosceret quibus arca aperiri posset.

Quae cum vidisset, vero animi fervore Deo preces adhibuit.

Ac... paulo post in arcae porta minimum sibi visus est audire stridorem. In pessulum oculos infixit, miratus quod clavis adunca portam statim aperiret. Harris lanternam in hominem ante se stantem adrexit.

Tunc vero quanta afficeretur laetitia videres cum latronem Spe-Koats ad se venientem conspexisset.

Silentium continuo fit. Postea ex latrone Harris qua de causa suam officinam tam praesenti momento inviseret, quaesivit.

Certiozem quidam me fecit, inquit Spe-Koats, ex speculatoribus te arcam loricateam confecisse et ut monstrarem nihil esse mihi invulnerabile, tuam visere officinam constitui cum novam et ego confecissem clavem aduncam quae tibi, in arca clauso, portam aperiret.

Quibus Harris auditis maxime miratus, ut auxilium latroni rependeret, innumera obtulit dollaria:

— Accipe, inquit, ob tantum beneficium.

Latro autem clavi adunca elatus, mercedem recusavit.

Celsonae.

JOACHIMUS BONMATI, C. M. F.

PORTA IN DOMUM


Architectus. — Ferrivia domum tuam transibit; haec est ratio quare urbis viae mutantur.

Rusticus. — Quotiens igitur portam aperire debeo?

P. BORÉS, *Phil. alumnus.*

Celsonae.

TRIANGULUS MAGICUS



Italiae regio
Priami Filius
Incendii
Causa
Pronomen
Praepositio

Rebus in angustis facile est contemnere vitam;

Fortiter ille facit, qui miser esse potest.

(MARTIALIS)

DEAMBULATIO

Heri in montem, ut viderem silvam quae a multis animalibus habitabatur, commisi me viae.

Equo strato et mantica accepta, domo exivi. Primum tolutim, postea incitato cursu in silvam perveni.

Equus, qui defessus erat, in terram se projecit ut quiesceret.

Pini, quae resinam generant, parvae erant. Augusta frons silvae viriditatem tribuebat. Herba autem frigida, ab ovibus mansuetis, quae a parvo et veloci pastore custodiebantur, devorabatur.

Canis vero animum allexit quia aut discurrebat aut aliquando in terra recumbebat aut ad sitim temperandam ad rivi ripam accedebat ut frigidam rivi aquam lamberet.

Pastor cum me vidisset, salutem mihi dixit et diu de ovibus et aliis rebus locuti sumus.

Cum edendi tempus advenisset invitavi eum ad edendum mecum et cum e mantica panis offam et alios cibos extraxissem, magna comitate cibum sumpsimus.

Postea, ovibus inclusis, quia exustus grex aestuabat, cum pastore in silvam intravimus, ubi primum corvorum agmen vidimus qui in fagorum et betullarum ramis quiescebant. Postea veterem carbonarium vidimus qui carbonem faciebat et custodem silvestrem qui sclopetum in transversum ferebat. Antecenio sumpto, magnus aper veloci cursu circa nos inopinato transivit, at, ubi nos vidit, voluit fugere sed custodis silvestris sclopeto necatus est.


Vesperascente sole in ovile ivimus, ubi equum reliqueram; gratiisque pastori et custodi silvestri actis, incitato cursu in urbem perveni.

Cum pervenissem, ad lavationem

FACETIAE

—Heus, adolescens!, hic petasus non est meus. Quis asinus meum secum tulit?

—Nescio, domine; cum vero secum acceperit, id plane significat ipsummet caput tui valde simile habere.



—Progediar, frigida quam plurima vobis parabo.

pluvialem ivi ut abluerem corpus; cena sumpta et precibus Deo fusis, corpus lecto imposui.

*Jos. X. Larrea, A. M. SS. CC.
Artaxone.*

BOHR

Viri rerum scientificarum periti ut structuram atomi explicarent haud paucas theorias a Dalton (a. 1808) proposuerunt usque ad nostram aetatem. Historia atomi clarissimis nominibus signatur inter quos: Dalton, Thomson, Rutherford, Bohr.

Theoria a Rutherford proposita quamvis praecipua fuerit et progressum significaverit maximum, contrariam tamen esse in nonnullis rebus constat, cum consentire regulis electromagneticis non possit. Hanc ob causam Niels Bohr, qui socius laboris erat Rutherford in Universitate Studiorum Mancuniana, ut theoriam atomicam socii emendaret, tria postulavit quae licet a veteribus legibus electromagnetismi absint, progressionem tamen maximam his rebus tribuerunt.

Quidam tamen sunt qui inter recentiores philosophos dicant Bohr postulata historiae mandanda esse cum nostri temporis nota careant. Hoc quidem certum non est; licet enim «planetarum systemata» simplici modo proposita admittenda

Aliqua de "Otto" et "Fritzio"

«Ottus» pulcherrimam atque crassissimam emit vaccam. Cumque quodam die casu, Ottum «Fritzius» offendisset quaesissetque ab eo quid veri illa in ultimas usque plagas fama pervagata haberet:

—Mehercule, inquit, nihil novum...

—Immo, et gaudio perfundi videris!...

—Cave, non sine lacrimis dico, cave credas: quamvis enim vaccae optimi mores, est tamen labor durissimus mihi ubera exsiccanti. Itaque ..

—Itane? bone Otte; veni, amabo, mecum domum, et tibi, quo magna commo-
ditate mulgere valeas, pulchrum tradam
subsellium.

Quindecim diebus interpositis, iterum
Ottum Fritzius offendit:

—Quo pacto, inquit, vacca sese tibi
gerit?

—O Fritze desideratissime; horrendum,
non ferendum! Sudoris guttulae meas ri-
gant ac madefaciunt genas, cum, illam am-
plexens, oro atque obsecro ut in subsellio
sedeat...

A. DUATO.

In Seminario Comillensi alumnus.

*non sint, tamen haec explicatio utilis-
sima est quo factlius distributio par-
ticularum elementarium in atomo in-
tellegatur.*

*Sed neque labor scientificus Bohr
hac tantum explicatione finitus est.
Alias enim quaestiones Bohr pertrac-
tavit quae certas stabilesque esse vi-
dentur.*

A.E. PASCUAL, C. M. F.

Celsonae.

SOLUTIONES

(Cfr. PAL. LAT. n.º 173, pp. 58, 62, 64
et «Pal. Adul. n.º 25, pp. 6, 10, 12)

Triangulus magicus:

Ma	rls
Ag	es
Re	s
Is	
S	

Aenigmata:

1. Medicus sum, et omnes linguam
promunt.
2. Quia non possunt domi intra cu-
linas strui.
3. Ut in ipsum carcerem ingressus
sis.
4. Duae verberationes.
5. Abditio.
6. Mori ante morbum.
7. Quidam vivens.


Pecten: 1. Homo; 2. Mens; 3. Ruis;
4. Suis. Et totum: HOMERUS.

Verba quae in picturis vidisti, haec sunt:

Sol-anus; te-stamen tum,
post-u mus; ante pil-anus; in-s ignis;
aper-tus.


Ubi bene, ibi patria.

(ARISTOPHANES)



*Id tibi prorsus asserebam stomachi cruditate mortuum
esse...*


KIKIRIKI



Ki - ki - ri - ki - ki - ki - ki - ki!
 re - ri - it gal - lus, pro - do - lor!




Ko - ko - ri - ko - ko - ro - ko - ko - ko!
 Pe - ri - it gal - lus pro do - - - lor!
 Ki - ki - ri - ki - ki - ki - ri - ki - ki - ri -
 Numquam ca - net sic: ki - ri - ki - ki - ri -



ki ! Ko - ko - ko - ri - ko ! Ko - ri - ko - ko - ko - ko!
 ki ! Nec so - na - bit vox: Ko - ri - ko - ko - ko - ko!

VERBORUM AENIGMA

1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11



In transversum. - 1, Consonans; 2, Statim; 3, Supra; 4, Levis; 5, Elephas Lucantiae quem Romani vocabant bovem. Invisus; 6, Segetes. Romanorum antiquorum deus (*genet.*); 8, Incunabula. Filii Loth nomen; 8, Habeant odium; 9, Cacumen montis Pyrinaei hispanici (*genet.*); 10, Vade; 11, Vocalis.

Ad perpendicularum. - 1, Consonans; 2, Humor lacteus; 3, Inter se; 4, Urbs maritima Hyrcantiae; 5, Rex Numidiae. Ferrea. 6, Erpi. Piscis nullo spinæ acumine nocens; 7, Dulcis pepo. Tener (*dativus*); 9, Nomen regis Scy-

thiae (*litteris versis*); 10, Praepositio; 11, Proficiscere.

ALOISIUS GARCÍA et JACOBUS M.^a VILÁ Barbastrí.

PHYSICAE PERICULUM

- Quid est thermometrum?
- Thermometrum est... canalís uno foramine constans.
- Uno foramine? Minime gentium!
- Ah! duobus, duobus foraminibus.
- Minime gentium omnium!
- ...Jam in sanio rem mentem revocor: tribus, tribus foraminibus!
- (!!!!!!!)

- Utique: potest quidem pluribus constare foraminibus, ad sonum apte emittendum...
- Tandem intellego! Quod tu describere intendis est *Fistula*; videamus an sonum reddat!

DE RE CHIMICA

- Cum aqua fit gelu, quid immutatur?
- Pretium.

BIBLIOGRAPHIA

VAN OOTEGHEM, J., S. J. — *Luctus Licinius Lucullus*. Bruxelles, Palais des Academies, rue Ducale, 1. 1959.

De Lucto Licinio Lucullo ejusque opere docta lucubratio a clarissimo Professore J. Van Ooteghem S. J., exarata, in qua et vestigia superioris libri *Pompée le Grand, bâtisseur d'Empire*, ab Academia Regali praemio donati, bono omne premuntur. Quae a praeclaris in re viris Drumann-Croebe, M. Gelzer, M. Villoresi prius exposita et tractata sunt praesto auctori fuerunt eaque in opere exarando adhibet. Quae tamen ad L. Lucillum spectant primum nunc lingua gallica penitior studio attinguntur.

Brevissima praefatio (pp. 3-4). Priores anni: nomen, origo (pp. 4-17). Sub dictione Sylae (pp. 18-44). Consul (pp. 45-83). Proconsul: bella annis 73, 72, 71, 70 (pp. 84-116). Bellum in Armenia (pp. 117-138). De aerumnis Luculli (pp. 139-165). De recessu (pp. 166-199). Conclusio (pp. 200-207). Bibliographia (pp. 208-224). Index nominum (pp. 225-231). Picturarum tabella (pp. 233-234).

Jucundus facilisque lectu liber in quo ars typographica splendet; selectae tabulae geographicae et picturae selectissimae. Opus denique historici atque scriptoris de humanioribus litteris bene meriti, qui minime laudatione indiget.

PHILOPONUS, C. M. F.

PETIT, PAUL. — *Guide de l'Etudiant en Histoire Ancienne*. Presses Universitaires de France, 103, Boulevard Saint Germain. Paris, 1959.

Huic scito operi praest praefatio, a clarissimo viro Andrea Aymard, Facultatis Litterarum et Scientiarum Humaniorum Universitatis Parisiensis Decano elaborata: quae quidem magnopere aestimanda his praesertim qui ad superiora sese studia aptare intendunt.

Quinque in capita res tota facilius distribuitur. I. Historia antiqua (pp. 5-22). II. Praecipuarum cognitionum adquisitio (pp. 23-56). III. Pristinorum textuum cognitio

(pp. 57-119). IV. Scientiae quae «auxiliatrices» vocantur (pp. 120-180). V. Labor cujusque proprius (pp. 181-192). Tum index auctorum pristinorum, geographicorum nominum, populorum, rerum, auctorum recentiorum (pp. 193-208).

Eximiae quidem eruditionis liber, diuturnae in scientia historica docenda exercitationis argumentum salubrisque fructus. Haud quidem, ex proposito clari scriptoris, liber magistris superioris disciplinae, bene autem alumnis commodatur; at illis, si quid mei est iudicii, magni etiam erit usui in praelectionibus de re praeparandis. In libro evulgando fausta quaeque scriptori ominamur altisque in posterum operibus in vulgus emittendis.

I. GONZÁLEZ, C. M. F.

S. NACHT. — *El Psicoanálisis, hoy*. Tomo primero y segundo. Luis Miracle, Editor. Barcelona, 1959.

Hoc adhibetur opus communis operae inter Psychoanalystas praecipuos gallos, quod quoddam est quasi monumentum jugium in re conatum, ab anno 1927, a Societate Psychoanalysis, anno 1953 condita, ad evulgandas perennesque reddendas doctrinas Freudianas.

Praest vero operi lexicon de scientia psychoanalytica, a clarissimo Doctore Oliverio Brachfeld exaratum (pp. 5-40). Libri editor et collectionis curator, propositum cursim lectoribus exponit (pp. 41-42). «Porticus», quae ita inscribitur, a Doctore Ernesto Jones, Praeside honoris causa Consociationis Psychoanalyticae Internationalis» (pp. 43-44).

Atque opus perficitur multis multorum sapientium disputationibus. En tibi totius rei summa: *Indicaciones y contraindicaciones del psicoanálisis en el adulto*, S. Nacht et S. Lebovici (pp. 45-80). *La clínica psicoanalítica*, M. Bouvet (pp. 81-154). *La terapéutica psicoanalítica*, S. Nacht (pp. 155-196). *El psicoanálisis de los niños*, S. Lebovici, R. Diatkine, J. A. Favreau, P. Luquet et J. Luquet Parat (pp.

197-258). *Estudio psicoanalítico de la adolescencia*, P. Male (pp. 259-304). *Psicoanálisis y educación*, J. Favreau et A. Doumic (pp. 305-334). *Psicoanálisis y trastornos de la sexualidad*, F. Pasche et M. Renard (pp. 335-370). *Psicoanálisis y medicina*, R. Held (pp. 371-442).

Haec in primo volumine; alterum haec capita comprehendit: *Psicoanálisis y neurología*, J. de Ajuriaguerra, R. Diatkine et J. García Badaracco (pp. 5-60). *Psicoanálisis y medicina psicosomática*, Pierre Marty et Michel Fain (pp. 61-130). *Psicoterapia psicoanalítica de la psicosis*, P. C. Racamier (pp. 131-250). *Psicoanálisis y profilaxis mental*, A. Berge (pp. 251-390). *Organización del psicoanálisis en el mundo*, M. Schlumberger et P. Marty (pp. 391-414).

In linguam hispanicam opus convertit Vicentius de Artadi, illudque retractavit Dr. Oliverius Brachfeld.

A. MARQUÉS, C. M. F.

EMBRICOS ALEXANDRE. — *La Renaissance Crétoise, XVI^e et XVII^e siècles*. Tome I, La littérature. Société d'éditions «Les Belles Lettres», 95, Boulevard Raspail (VI^e). Paris. 1960.

Haec lucubratio est fasciculus XIX in corpore «Collection de l'Institut d'Etudes Byzantines et Neo-Helléniques, de l'Université de Paris». Tomus hic primus litteris cretensibus saeculis XVI et XVII dicatur, quem alter consequetur cretensi picturae dicatus. Ab anno 1922 non nulla opera de poësi, de theatro, de critica a clarissimo viro A. Embricos in vulgus sunt edita. Quod quidem luculente de ejusmodi fama in litterarum humanorum campo jam est testimonium.

In libri prologo (pp. 7-16) de argumento perspicue verba facit quae lectoribus tanquam viam pandant, totumque opus tres in partes commode dividitur, hac autem ratione: I. *La Crète sous Venise: Le Cadre, La Société* (pp. 17-52). II. *La Renaissance intellectuelle: Les Humanistes et les Theologiens* (pp. 53-86). III. *La Renaissance Littéraire: Les Préliminaires, Le Siècle d'or, L'Idylle Bucolique, La Tragédie, Le Drame Religieux, La Crète s'amuse, L'Erotokritos, La chute de la Crète et les Poèmes qui la relatent* (pp. 87-286)

Libri recensentur multi selecti, recentissimi (pp. 287-296). Opus absolvit index auctorum, operum anonymorum, praecipuarum materiarum tabula accurata. Maxime studio

sis «Humanismi» hoc opus commendandum aestimamus.

PHILOPONUS, C. M. F.

GARCÍA DE DIEGO, VICENTE. — *Leciones de lingüística Española*, segunda edición, 236 p. Biblioteca Románica Hispánica, Edit. Gredos, Madrid, 1960.

Has septem, quae prelo iterum vulgantur, disputationes, clivus. Professor V. G. de Diego cultoribus praesertim linguisticae hispanicae offert. Sunt enim quaestiones quae ad quamlibet linguam attinent in primis hispanicam.

Tractationem hanc rerum linguisticarum, de quibus agit auctor, maximi momenti rem, novam, humanam, familiarem putamus: utrum sermo cogitata tantum an animi quoque motus per se exprimat (p. 9-62); utrum «symbolismus», id est, omnes eae significationes sensibiles vel imaginativae quas in verbis percipere censemus, vero plane respondeat an aliquod pulchrum mentis figmentum tantum sit (p. 63-90); quibus normis seu principis innitatur proprietas linguistica (p. 91-118); utrum novitas dicendi sit quid proprium scriptoris an potius de more institutoque majorum pendeat (p. 119-144); quo modo vocabula sint tamquam «larvae sermonis» (p. 145-172); quam rara plerumque dicendi sit subtilitas et cura (p. 173-198); quo pacto interdum pauper interdum dives sermo videatur (p. 199-228).

Sapiens peritusque Professor, amoenitate familiarique dicendi genere, mira simplicitate quaesita investigat eisque rite respondet. Opus omni commendatione dignum judicamus.

M. MOLINA, C. M. F.

N. VALERI MARCIAL. — *Epiques*. Vol. V. Text revisat i traducció de MIQUEL DOLÇ. Fundació Bernat Metge. 1960.

Epiques Martialis a cl. v. M. Dolç et edita et interpretata hoc volumine absolvuntur, quo Xenia continentur et Apophoreta. Hoc V volumen alta complet et honestat. Clauditur eorum nominum indice quae in omnibus voluminibus quoquo modo apparent Auctori, amico sollertissimo, gratulamur quod arduum opus in felicem faustumque eventum perduxit quo linguam catalaunicam novo illustravit monumento.

JACOBUS SIDERA, C. M. F.